$1750.00
#17896
CZZ
cpb

Ex libris

~~Josephi Schram et i Schallmeijer.~~

~~1810~~

Dusseldorpii 25. Aprilis 1804.

HYPERASPI

STES DIATRIBAE ADVERSVS
Seruum Arbitrium Martini Lutheri, per D. Erasmum
Roterodamum. phibitū in Indice romano

NB. Hic liber est expurgatus in 2. locis juxta Indicem Inquisitionis Hispanicæ fol. 306. col. 2. —

BASILEAE apud Io. Frob.
An. M. D. XXVI.
Cum gratia & priuilegio Cæsareo.

ERASMVS ROTERODAMVS
LECTORI S. D.

Rodijt Seruum Arbitrium, titulo Martini Lutheri, sed elaboratum à multis, multo tempore: nam ante annum liber excudi cœperat, ut narrabant, qui prædicabãt se uidisse paginas aliquot: summaq; cura quod ipsa res indicat. Liber mihi sero redditus est, idq; casu, nã ipsi celabant, ut saltem ad menses aliquot triumphum agerent, nõ solum addicti Luthero, uerũ etiam utriq; inimici, mihi quidem ob bonas literas, illi uero ob improbata dogmata. Temporis spatium quod dari poterat tũ relegendæ Diatribæ, tum perlegendo Lutheri libro, nõ tam prolixo, q̃ loquaci, tum responsioni meæ, nõ erat longius diebus decem: & redditus est iam defesso, atq; adeo etiamnum satagenti in absoluendis ijs, quæ parabantur in mercatũ proximũ. Eius rei certissimi testes sunt Basileæ, si quis mihi diffidit. Et tamen quoniã sensi, quàm insolenter iam tum ad odorẽ huius libri quidam exultare cœperint, ui-

ſum eſt aliquam reſpõſionis partem, hiſce nundinis Francfordienſibus, quamuis tumultuariam ædere, quo moderatius ageretur iſtis triumphus ante uictoriam. Reſpondimus autem ad eam partem, qua pugnat cum præfatione meæ diatribes, reliqua daturi per ocium elucubratiora. Aliquoties capitum Lutheranæ diſputationis numeros adiecimus in marginibus, quo facilius conferas quæ refellimus, ſi prius illius capita numero ſignaueris. Bene uale, & expecta in argumentando, certiorem uictoriam. Baſileæ, decimo Calendas Martias. Anno M. D. XXVI.

HYPERASPI
STES DIATRIBAE PER ERASMVM ROT.

QVOD FE lix faustum q̃ sit, protinus ipsam rem aggrediemur, & quidem Attica lege, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, quod idem si tu quoque Martine Luthere facere animum induxisses, minus profecto detriuisses ocio tuo, cuius inopiam quereris, et mihi minus addidisses negocij, cui iam erat plus satis. Nunc dum maluisti quorundã affectibus obsequi q̃ tuo iudicio, quàm multa sunt in isto tuo libro prorsus ἀπροσδιόνυσα, quàm multa superuacanea, quot in locis cõmunibus moræ, quantum con-

uiciorum, quàm multa manifeſtæ uanitatis, quantum ſtropharũ, quantum figurati morſus, quàm multa parum pudenter detorta ac deprauata, & ex deprauatis tragicæ concluſiones, rurſus ex his uociferationes in immerentem. In his quoniã tibi uiſum eſt bonas horas collocare male, cõgor & ipſe in refellendo nonnullam aquæ meæ portionem conſumere. Primũ igitur demiror, quũ mea Diatriba nihil habeat niſi moderatã de re diſputationẽ, quumq; è propinquo allatret Hieronymus Emſerus, è longinquo Ioannes Cochleus adiũget, ex Anglia præter Roſeum & alios, Ioannes epiſcopus Roffenſis iuſtis uoluminibus te laceſſat, è Gallia Iodocus Clithoueus Lutherũ opẽ ugnet Antiluthero, ex Italia Chriſtophorus Longolius elaboratam orationem in te torſerit: Deniq; quũ hic habeas ex tuæ ſodalitatis Coryphæis, qui tibi ſedulo faceſſant negociũ, quorum Vlrichus Zuinglius ædito libello nequaquam, ut ferunt, edentulo, dogma tuũ ſed ex parte cum eccleſia cõmune, de Euchariſtia oppugnat, quũ idem fecerit Capito, et Ioan. Oecolampadius, nullis quidem cõuicijs,

uicijs, ſed crebrioribus & acrioribus machinis: hæc, inquã, quum ita ſint, demiror quo cõſilio, ad omes obmuteſcens, noſtræ Diatribæ reſpondendũ putaris, præſertim quum præter modeſtiam, tam friuolis rationibus rem agat, quemadmodum ais, ut cauſam quam ſuſcepit reddiderit deteriorem. Nec tamen expoſtulo quod reſponderis, nec inquiro quur opus ante annum excudi cœptum, nunc demum abſolueris: illud demiror, quur meam in reſponendo ciuilitatem nõ ſis imitatus, quam te decuit etiã ſuperare, ſi nobis iſtius animi ſpiritusq; quẽ tibi uindicas, fidem facere uelles. Verum hic obſequutus es fratribus, inter quos ſcio permultos eſſe, quorum mores procul abſunt ab Euangelio, cuius titulo ſeſe uenditant. Horũ cupiditatibus Luthere, te plus ſatis obſequentẽ præbes, non ſine graui detrimento cauſæ quã ſuſtines. Non enim me clàm eſt in cuius gratiã ad iſtum modũ ſcripſeris in Cochleum & in regem Angliæ. Is nimirũ erat in quo duas perſonas Comicas poſſes agnoſcere, ſtupidiſſimum ac glorioſiſſimum Thraſonem, & adulantiſſimum Gnathonem. Certe in-

dignus erat cuius hortatu uel epistolã scri/
bere debueris in tam arduo tamq; pericu/
loso negocio. Quin illud potius erat tibi
reputandum quam personam suscepisses,
uidelicet qui se profiteretur euangeliũ iam
plus mille quingentis annis sepultũ & ob/
rutum reuocaturum in lucem, & abroga/
ta pontificum, conciliorum, episcoporum
& scholarum autoritate promitteret orbi
certam ueramq; uiam salutis, quam hacte
nus mundus ignorasset. Quàm uero nõ
congruebat, ut qui tam arduo negocio ue
lut Atlas cœlo suppositus humeros (iam
enim tecum sic ago, quasi uera sint omnia
quæ tibi arrogas) perinde quasi in re ludi/
cra, dicteriis, sannis, salibus, et cachinnis in
quoscunq; lubitum fuerit ludat, et ex Vuil
heyli cuiuspiã arbitrio stilũ uel stringat uel
moderetur in quencq;, non dicã in regem.
Instigauit idem alterũ quendam ut dialo/
gum scriberet in Leum, & hũc itidem atq;
te multis mẽdaciis instruxerat. Nihilo me
lius te instruxit, mihi crede, cuius impulsu
librum istum emisisti. Ego tot eruditis, tot
ecclesiæ proceribus, tot orbis monarchis
efflagitantibus, quibusdam etiam cum mi

nis

nis exigentibus, ut summis eloquentiæ uiribus in te detonarem ac fulminarem, nisi uellem ecclesiæ desertor, & tuæ sodalitatis fautor uideri, tamen excusaui, non quod probarē tua dogmata, quæ sicuti uere scribis non intelligebam, sed partim ne imprudens læderem causam, cui initio totus penè orbis applaudebat, partim quod intelligerem negocium nō esse mearum uiriū. Itaque metuebam ne, quod solent imperiti medici, malum siniſtra curatione exasperarem. Postremo sic aliquādo mecum cogitabam, quid si deo uisum est corruptissimis horum temporum moribus, tam sæuum dare medicū, qui sectionibus & ustu ris sanet, quod potionibus & malagmatis nō poterat. Videbam eruditos homines pedibus in tua dogmata discedere, perspiciebam fatalem quendam orbis fauorem, animaduertebā quo uehementius à theologis ac principibus obsistebatur, hoc latius propagari, ac magis inualescere negocium, ex his ratiocinabar rem non sine numine geri, itaq; decreueram spectator esse tuæ tragœdiæ, sic apud me cogitans iuxta Gamalielis sententiam, si deus hæc mouet

non est meum resistere, sin aliunde ortum est quod agitur, sua sponte dissipabitur. In actis apostolorum legimus: Cæterorũ nemo audebat se illis coniungere. Simili religione abstinebam à uestro negocio. Verũ ubi principibus diutius excusare non possem, & opprimerer inuidia falsissimaq; suspicione, scripsi diatribam, sed ita tempera to stilo, ut tu non posses optare disputationem ciuiliorem, ~~ac pharisaeis quibusdã uisus sim tecum non decertare, sed colludere, qui sic dentes & ungues continuerim~~. Certe putabam me abunde uitasse, ne tibi debacchandi conuicijs ansa data uideret. Quædam in tua assertione dicta odiosius prudens dissimulaui, quoniam nisi te læso tractari non poterant. Vbi ad morum comparationem uentum esset, declino locum inuidiosum, malens uitare offensam, quàm seruire cõmodo causæ meæ. Quodam loco nominatim etiam depello suspicionem abs te, quũ ita scribo: Non hæc proprie in Lutherum dixerim, quem de facie non noui. & cætera.

Et uide quàm cõsentiant uestra iudicia, Philippus Melanchthon huc scripsit, meã

Diatribã

Diatribam æquissimis animis acceptam Vuittembergæ. Et adiecit, iniquissimum sibi uideri, si nõ liceret in ecclesia suam cuique sententiam dicere. At tu respondens, sic arte stilũ temperas, ut in alios forte scripseris clamosius, in neminem hostilius aut amarulentius, id quod uanissimum uideri patiar, nisi mox omnibus perspicuum fecero. Meam disputationem, Diatribam & collationem appello, quo titulo quid est modestius? Ipse nõ pronuncio, quum uerser in argumento, quod in integrum aut in dubium disputando reuocare fas nõ erat. Congressurus tecum, depono Cæsaris, pontificum, conciliorum, Academiarum, & ueterum Orthodoxorum autoritatem, qua te poteram urgere, etiã si argumentis fuissem inferior. Ex tuis legibus quamuis iniquis tecum consero manus, nec te tamen appello quemadmodũ tu me: habet enim ipsa compellatio quiddam contentiosum & contumax: Nec tua solius argumenta tracto, ut non proprie tecum, imò ne tecum quidem certare uiderer, sed cum tua assertione. Non uideo quid potueris optare ciuilius. Vsque

adeo

adeo ne non pateris quenquam cõtra tua placita hiſcere? Atqui huc ſoles omẽs pro uocare, ut tecum manus conſererent. Et
1. Petri. 3. ubi eſt illud, quod admonet Petrus, para/ti ſemper ad ſatisfactionem omni poſcen/ti uos rationem, de ea quæ in uobis eſt ſpe ſed cũ modeſtia & timore. Et Paulus uult Epiſcopum eſſe διδακτικόν, non πλήκτην. Quod ſi ego parum erudite diſputaſſem, debebas illud Pauli meminiſſe: Sapienti/bus & inſipientibus debitor ſum. Qui tibi fuerant iuratiſſimi, audent in te ferrũ ſtrin gere, nec à conuicijs temperantes, & Era/ſmum moderatiſſime diſputantẽ ferre nõ potes? Ego mordicus tenui meam mode/ſtiam, quam ſciebam mihi futurã inuidiæ, hanc tu cum tua laude cumq; cauſæ quam agis utilitate poteras ac debebas imitari. Scilicet peruicit tuam patientiam quorun dam exultatio, mihi decernentium trium/phum, te uictum eſſe iactantiũ. Quos tu mihi triumphos narras? hic tantũ erat de mea diatriba ſilentium, ut mihi propemo dum exciderit ſcripſiſſe. Semper ſolus eſſe uolui, nihilq; peius odi quàm iuratos & fa ctioſos. Sed ad tuum libellum uelut ex in/

ſidijs

fidijs subito prouolantem, deum immortalem quæ fuit tuorum exultatio, quàm gloriosas uoces sparserunt, habet Erasmus quod agat, habet malum calculo grauius, aliáque uehementer Euangelica. Verum nec tui calami amarulentia, nec huiusmodi uocum petulantia me perpulit, quo minus in hac apologia rationem potius adhiberem in consilium quàm affectus. In dictis nonnunquam animi motus præcurrunt rationem, in scriptis nihil tribuendũ est affectibus, nec spectandũ est quid tum sic affecto uideatur esse rectum, sed quid perpetuo rectum uideri possit. Quanquã hic, ut uere dicam, leuissima pugna fuit cũ affectibus. Ad istiusmodi maledicta tot epistolis, libellis famosis exercitatus occalui. Vis autem scire quantum molestiæ pepererint aculei tui? Vtinam ante annos quinque, quum me prædicares, strinxisses in me calamum tuum, multo quàm nunc hostilius. Verum quoniam tu in hac tam non amica responsione, uis etiam amicus, si superis placet, & candidus uideri, te simul cum tuis scire uolo, me nec esse tam stupidum qui istiusmodi strophis falli: nec

tam

tam imbecillo animo, qui tuis conuiciis commoueri possim. Simplicius fecisses, si tui similis palàm in me debacchatus fuisses. Soles enim τὴν λεοντὴν ἐνδυσάμενον claua rem gerere, nunc uulpinam pellem assuisti leoninæ, & melle toxico me perungis. Atque ad hanc scilicet fabulam, sesqui anno ferè meditatam, ascisendus erat Logodædalus, qui cõponeret orationem rhetoricósque fucos adderet, nimirum aduersus hominem rhetoricum. Noui enim impetum tuæ dictionis, & torrentẽ illum ingenti fragore è monte decurrentem, ac saxa truncosq; secum rapientem. Istius Logodædali oratio lenius fluit, sed plurimũ ueneni secum trahens. Non me fugit quis sit. Est enim unus ex eorum numero, qui, quod tu quum candidus & memor uideri uis fateris, hoc ipsum quod habẽt loquentiæ, ferè hauserũt è meis lucubrationibus: nec mihi iam nouum est, in meis uulneribus pennas meas agnoscere. Nec satis erat unus rhetor suppositítius, quum urget bellí moles Patroclum tuum nobis immittis, qui simul & tuis armis, & suis, hoc est, dicendi uiribus, nobiscum pugnet. Adeo enim

nim est infans, ut me potius eloquētia gra uet, quàm argumentis. Ac ne me putes in tenui discrimine dictionis hallucinari, nō est nisi unus qui hoc possit quod ille præ stitit. Quanquam & alioqui notus est mi hi peculiariter illius in dicendo genius. Nam prior ille rhetor absq; bonorum au torum lectione, absq; grammatica facun dus est: Et si tu pateris huic imputari fu cos ineptos potius quàm tibi, non repu gno. Sunt autem quædam admixta tuo li bro, tam insulsa indoctaq;, ut nunquā cre diturus sim abs te profecta fuisse, quæ suis locis indicabuntur. Sed interim iniquior est mihi hæc pugnæ cōditio, quàm gladia torum, in harena unus cum uno, retiarius cum Mirmillone committitur, mihi uni cum multis res est, & si cum uno, cum Ge ryone tamen. Isaac in uno homine agno uit duos, ego in uno libro, uarias uoces di uersasq; manus sentio. Cum phalange pu gna est, non minus armata, linguis, erudi tione, conuiciis, & strophis, uafricie, obli quisq; cōsiliis. Nunc agnosce consiliū tuo rum logodædalorū qui sic cogitarūt: Non est impotentibus cōuiciis debacchandū in

Erasmum,

Eraſmũ, Nam ea res liberaret illum ſuſpi/cionibus quibus grauatur apud principes & inuidia qua premitur apud Theologos ac monachos. Sed eſt appetẽs gloriæ, pro inde paſſim inculcabimus illũ nihil ſcire, & ubiq; ueluti nullius rei hominẽ, magno faſtidio contemnemus, conſpuemusq;. Ea res peſſime uret illum. Cæterum ut hoc fa ciamus cum fide, laudem admiſcebimus, amicitiam ſimulabimus, & miſericordiam potius quàm odium præ nobis feremus. Tribuemus illi ingenium & eloquentiam ſummam, quo lector hic perſpecto cando re noſtro, exiſtimet nos cætera quoque tri buturos fuiſſe ſi promereretur. Deinde ſuſpicionem & inuidiã qua grauatur omni/bus modis augebimus exaſperabimusq;, ſic temperantes oratione, quaſi ille nobi ſcum ſentiat, ſed partim metu, partim amo re lucri diſſimulet. Sophiſtas cum hoc col latos, longe præferemus, denique ſic age/mus fabulam, ut ab utroq; theatro gratiã ineamus, & fratrũ qui illi iam pridem ma/le uolunt, & ſophiſtarum ac phariſæorum quos ob bonas literas iam olim habet in/feſſos. Deniq; tantũ admiſcebimus ſcom/matum,

matum,& conuiciorum,ut homo seniculus,ac meticulosus,si nec loquacitate delassari,nec argumentis obrui poterit,saltem maledictis conficiatur. Hoc consiliū tam simplex & euangelicum,quum nemo cordatus nō statim deprehēdat in tuo libro, tamē tuis uisum est percȝ facetum. Quis hic non uidebit scorpij complexum, mox infigentis aculeum,quis non sentiet uenenatū poculum, melle prælitum? uenerabilis Erasme,mi Erasme, charissime Erasme, optime Erasme,summo ingenio,maximis dotibus,summa eloquētia prædite,cui plurimum debent bonæ literæ &c. Nimirum hic est complexus,hoc mel. Sed mox idē laudatus Erasmus tam impie scribit,ut nec impij sophistæ potuerint ferre: blasphemus est in deū, & quod his quoȝ grauius est,nihil omnino credit,sed Epicurū ac Lucianum ἄθεον celat in pectore dicēs in corde suo: Nō est deus,aut si est non curat res mortalium. Hic est aculeus,hoc letale uenenū,hoc est rubetæ uirus. Si liber hic nō scatet undiq; talibus facetijs,sim ego Cretē si uanior. Sin & hæc & alia multa,passim

impingunt, inculcant & iteratur, quæso, p
feras in quem unq̃ scripseris uirulentius?
Et hic ipse tuus sermo secum pugnãs pro-
dit insyncerit atem tui pectoris. Qui con-
uenit ut tibi sit charissimus, & frater chariſ
simus, & uenerabilis, optimus, & quid nõ,
quum eundem pronuncies impium, blas-
phemum aduersus deum, deniq; ἄθεον?
Adeo ne putas homines esse fungos, ut
non intelligant quo spiritu ducaris, quum
ista scribis, ex eodem ore frigidum efflans
& calidum, ex eodẽ poculo mel porrigens
ac uenenum, altera manu panẽ ostentans,
altera lapidem incutiens? Quorsum autẽ
attinebat hic tot uerba perdere de mea sũ-
ma eloquentia deq; tua summa infantia?
In disputatione de libero arbitrio, quid fa-
cit eloquentia? Ego istam eloquentiam,
nec iacto, nec agnosco, nec affecto. Certe
in diatriba nõ deprompsi si quam habeo,
& erat locus amplissimus si uoluissem. De
tua uero infantia, quãdo, te rogo, quesſus
sum? Aut quando desideraui in te eloquẽ-
tiam? Vtinam tam adesset tibi sobrius ac
syncerus animus, q̃ non deest eloquentia,

Rursum

Rursum quantum abest ab Euãgelica sim plicitate toties precari ueniam infantiæ, quum subornaris ad causam agẽdam ho minem insigniter eloquentem, quod ipse declarat orationis fluxus? Iam, quid mihi donas, quum tribuis summam eloquentiã cum summa rerum ignoratione coniun ctam? Aut quid largiris, quum cõcedis in geniũ sexagenario, & prædicas bonæ spei indolem? Si nũc tantum ingenioſus sum, quando sapiam? Verum hic est fucus me rus tui Logodædali, q ficte tribuit eloquẽ tiam, ut cum fide adimat scientiam, & fuca te laudat ingenium, quo probabilius hæ reat in me crimen animi dissimulati. Atq; hoc ipsum quod initio tribuis, in disputa tionis progressu detrahis, dum Erasmum facis adeo stupidum, ut nec ea uideat quæ sunt sole clariora. Quoties autem illi facil dissimo impingis imperitiam rhetorices, qui nõ intellexerit causæ statum, qui toties dicat aliena, toties ipsam causam funditus subuertentia, male definiat, peius diuidat, pessime ratiocinet, breuiter q nihil nõ faci at cõtra præcepta rhetorices. Et hæc q scri

bit ni fallor, literis huc missis, tribuit mihi eloquētiam Ciceronianæ proximam, quæ res adeo me delectauit, ut legēs risum tenere nequiuerim. Et tu obiicis quod sum/mis eloquētiæ uiribus oppugnem dogma tuū in Diatriba, quum illi lucubratiōi uix dederim dies decem, interim ne cogitans quidem de dictionis ornamentis, quarum & aliās mihi nō solet esse anxia cura. Hæc tā sibi pugnātia, satis arguūt te nihil ex animo loqui. Ergo detracta eloquētia, super/est ingenium, quod initio tribuebas. At in disputando mea diatribe, stupet, cæcutit, stertit, somniat, nihil meminit, nec intelli/git quid alij dicāt, nec quid ipsa loquatur. Sic Erasmus est ingeniosus. Verū ad istū modum uariare solent Luthere, qui nō ex uero sermonem depromunt, sed ex arte loquuntur omnia. Neq; multo melius cohæret, quod in operis tui principio præfatus non esse cōtemnendam autoritatem Era/smi, in progressu nihil aliud agis, quàm ut Erasmum ludos delicias q; facias, & orbi deridendum propines. Quod si te autori/tas dissentientis prolicit ad pugnam, quin

cum

cum Ioanne episcopo Roffensi manus conseris? Ille & eruditione & dignitate, & non uulgari uitæ sanctimonia probatissimus est, ac te toties lacessit, nec pdis ad certamẽ. Rursus quàm illud congruit, in fine disputationis mihi gratias agis, quod mea diatriba tibi præbuerit occasionem confirmandæ dogmatis tui: id si dicis ex animo, quur toto libro sic in illam debaccharis, quũ illa sine ullis conuicijs disputarit? Sed hæc sunt argumenta tuæ perpetuæ cõstantiæ. Porrò quod tibi cum Paulo uindicas scientiam, utinam id uere posses, simulq; præstares spiritum Euangelicum, qui fragrat in scriptis Pauli, quum in tuis obstrepat alius spiritus. Aut quæ tandem cõtumelia est, si tu mihi derogas scientiam, quum eandem iamdudum detrahas & cõciliis uniuersalibus & Pontificibus & Episcopis omnibus, & priscis pariter ac recentibus ecclesiæ doctoribus, deniq; scholis omnibus? Quis unq; sapuit, qui uel latum, ut aiunt digitum, dissenserit à tuis dogmatibus? Omnes quamlibet antea docti, protinus ut tibi contradicere cœperint, patiun-

tur hanc metamorphosim, ex Lynceis uer/
tuntur in talpas, ex hominibus in fungos.
Et tamen illis iustius exprobraris ignoran/
tiam, qui magno supercilio uindicant sibi
peritiam scripturarum, prædicantes te ni/
hil omnino scire, tuaq; paradoxa, quo no/
mine hactenus sum usus, illi donant alijs
titulis. Ego meam imperitiam semper in/
genue confessus sum, & hoc nomine me
semper excusaui, ne tecum committerer.
Proinde mihi obijcere ignorātiam, perin/
de est, ac si quis cæco mendico deploran/
ti luminis orbitatē, exprobret quod in cla/
rissima luce nihil cernat. Ego quanta pos/
sum uoce quotidie opploro auribus Iesu,
miserere domine, da ut uideam lumen, &
tu sic clamanti dicis, Tace lusciose. In ipsa
diatriba, quoties profiteor imperitiam me
am? Atq; utinam ante annos quatuor or/
bi persuasissem me nihil scire rei theologi/
cæ, uidelicet præstitissem officium lōge gra
tissimum. Nam ego quantūlibet eloquēs,
ut ais, illud quum maxime conarer, per/
suadere non potui. Ac misere metuo ne
nunc quoque non persuadeas quibus uel/

lem

lem. Siquidem olim in tuis commentarijs quibus explicas epistolam ad Galatas, prædicor uir in theologia summus, & inuidiæ uictor: Sic in præfatione. Rursum in ipso statim frontispicio commentarij sum theologicissimus, in progressu uero quoties citor honorifice. Ibi Erasmus recte dicit ut omnia, ibi dignissime reddo Græca, ibi sum Erasmus optimus, ibi cum Erasmo tuo libenter sentis. Rursum in appendice quam adiecit Commodus Britānus, tu posteriores fers, mihi prima laus decernitur in restituendo Euangelio. Non hic proferam sexcentas epistolas tuorum, quibus prædicor theologiæ princeps. Verum simulatq; sum ausus hiscere aduersus tuum dogma, subito factus sum ignarus totius theologiæ. Quid si is qui scripsit meā diatribam æquissimis animis isthic acceptam, primas agit in hac fabula? Quis uestro iudicio tam inconstanti fidem ullam est habiturus, optarim autē haberi quàm maximam, hac potissimum in causa. Quæso te quid dicent homines cordati, quum uiderint tantam animi tui inconstantiam,

hunc librum tuum cum illis tuis scriptis conferentes? Me Proteum appellas, hoc superat omnes Proteos. Quo colore hic excusabis scripta cũ scriptis pugnantia? Dices opinor, tibi tum illusum fuisse à spiritu carnis, nũc Christi spiritu duci. Nimirũ habes lemma, quo possis excusare quidlibet, si tibi fides habeatur. At tum temporis plurimi de tuo spiritu bene sentiebant, qui nunc aliter sentiunt, & indies sentiunt peius. Excute lucubrationes meas omnes, & si quid tale deprehenderis, me Proteũ uoca. Tum blanditijs illectabas in tuum fœdus, nunc offensus diatriba, conaris ex Erasmo talpam reddere. Verũ ut illis magnificis laudibus non capiebar, ita nunc ista tua uituperatione ne tantulum quidem commoueor. Sciebam illas laudes non proficisci ex animo, quemadmodum has uituperationes tibi dictauit odium & ira. Sed quemadmodum illic prædicatus summus in re theologica, ne pilo quidem factus sum eruditior: ita nunc simili hyperbola prædicatus nihil omnino scire, nihilo reddor indoctior. Vis argumentum

tum

tum quàm me delectarint illa tua præconia? Monui te per literas ut in posterum à talibus laudibus abstineres. Vis scire, quantum mihi displiceam abs te delectus? Maiorem in modum opto, ut quod suades persuadeas, uel isto dedecore cupiam emptum ocium. Nunc mihi uide quàm reliqua uestra iudicia consentiant. Excusa est epistola Melanchthonis, in qua tibi tribuit plurimum, me tamen non dubitat ueteribus omnibus anteponere. Rursus quidam Erasmus Alberus è tua schola θεοδίδακτος, me diuo Hieronymo uel æquat uel anteponit. Si ueteres omnes, si Hieronymus nihil nouerunt rei theologicæ, si cæcutierunt cum ecclesia, & illorum miseret, & meã cæcitatem moderatius fero, cum tot eximijs uiris communem. Sed ut tuorum laude ne tantulum quidem cõmoueor, ita tuo iudicio propemodum etiam delector. Si tua dogmata passim insulsissem in meis lucubrationibus, papæ quantus fuissem theologus. Verum ego mihi conscius mei moduli, semper malui cum Paulo sapere ad sobrietatem, quã

ſcientia inflet, charitas ædificet: ac nũc etiã uehementer gaudeo mihi non eſſe tan/tum ſcientiæ, ut promerear nomen hære/ſiarchæ, quod promeruit ſcripturarum pe/ritiſſimus Arius. Quare te rogo Luthe/re, huc totis uiribus incumbas, ut pſuade/as omnibus me nihil ſcire rei theologicæ, id non ſolum mea, ſed tua quoque refert. Sunt enim qui per orbem ſpargunt uaniſ/ſimas uoces, & plurimis fecere fidem, quic quid ſcribit Lutherus, hauſiſſe ex uberi/bus Eraſmi, meq; libris etiam æditis magi/ſtrum tuum, te uocant diſcipulum meum, ſimul & me falſiſſimis laudibus oneran/tes, & tuæ ſcientiæ contumelioſiſſime de/trahentes. Aduerſus hos blaterones uin/dica tuæ ſcientiæ quam prædicas gloriam, eadem opera & à me magnam initurus gratiã. Et tamen in hac diſputatione quàm non præſtiteris iſtam admirabilem toti/esq; iactatam ſcientiam, ſuo loco declara/bitur. Adhuc tantum mihi res eſt cum tuo logodædalo, cui tu deliniatam abs te figu ram coloribus fucandam locaſti, tuæq; di/ctionis œconomiam cõmiſiſti, quo rheto/

rem

rem arte rhetorica tractaret. Verũ is multum loquentiæ ſuæ perdidit in deprecanda tua infantia, in extollenda tua ſcientia meáque eloquentia, in detrahenda mihi ſcientia, & tuo ſpiritu prædicando. De ſtilo tuo ne uerbo quidem unquàm quæſtus ſum. De ſcientia tua iam frequenter audiuimus, nec hanc in te deſideramus, meam ignorantiam ſemper ingenue profeſſus ſum. Spiritum iſtum quem tibi uindicas, utinã tã præſtares in tuis ſcriptis, & conſtanter & fortiter aſſeris. Vtcunque hæc habent: Amarulentia logodædali tui, ſi ſtultitiæ, ineptiæ, & craſſiſſimæ ignorantiæ conuicijs fuiſſet contenta, diſſimulaſſem. Cæterum impietatis crimen intentatum, blaſphemiam in deum, non ſemel obiectam, poſtremo Lucianicum illud ἄθεον ſi diſſimularem, dignus eſſem qui uere talis haberer, qualem tu prædicas. Et hæc tamen ita diluam, ut nullum conuicium in te regeram, ne Pontificum quidem aut theologorum cenſuris te grauabo, quibus tu nunc uafer propemodum adularis in odium mei, quum nondum abolita

ſint

sint quæ in eos scripsisti. Sed hæc suis lo/cis, nunc carptim ad conuicia tuis blandi/mentis inspersa, si prius indicaro & illam logodædali tui stulticiam, quod meam dia tribam componit cum libro Melanchtho nis de locis Theologicis. Melanchthon pro te pugnat, ego contra te, quid igitur aliud quàm aquam igni cõparas? Et istud tuum iudiciũ quid habebit ponderis apud cordatos, si laudas tuum propugnatorem & deprimis antagonistam: quanquàm pe riti rhetorices solent attollere uires & ani/mum aduersarij, quo reddant illustrio/rem uictoris gloriam. Discedat in diuer/sam partem, & arma moueat in te, proti/nus & ille tibi putebit, neque mitiorem pa tietur metamorphosim, quàm passus est Carolstadius, qui repente è spiritus sancti myrothecio factus est organum satanæ, si/mulatque latum unguem discessit à tuis præscriptis. In præsentia nihil detraho lau dibus Philippi, nec ad rem facit, tantum il lud obiter dicam, me iam pridem non in/diligenter legisse locos Melanchthonis, qui si mihi per omnia satisfeciſſet, absti/

nuissem

nuissem à diatriba. Εἰρωνεύῳ tribuis mihi geminam uictoriam, alteram quod mea modestia tuum spiritum & impetum re/moratus sum, alteram quod nugalibus ac iam olim protritis argumentis, quas tu uocas feces, sic asseram liberum arbitrium, ut nihil dicam noui, & tamen plus tribuam illi, quàm hactenus à sophistis. Hoc poste/rius quàm impudenter abs te dictum sit, suo loco perspicuum faciam, & fecis con/uicium tuo ingenio condono præter in/fantiam, malim enim feces dici quàm ue/nena, feces ablui possunt, uenena nõ item. Cæterum quis illud absq; risu leget, quod scribis mea modestia te segniorem red/ditum ad pugnam, quum ista fortitudo tua, me frustra reuocante, iam orbem uni/uersum exitiabilibus dissidijs concusserit? An equo sic currenti erant subdenda cal/caria? Habemus fructum tui spiritus, res usque ad cruentam stragem progressa est, & metuimus atrociora, ni deus propitia/tus auerterit. Dices hanc esse naturam uer/bi. Ego nonnihil arbitror referre, quomo/do prædicetur uerbum dei, ut iam dei uer/

bum sit quod doces. Non agnoscis ho/ sce seditiosos, opinor, sed illi te agnoscunt, & iam compertum est multos, qui se ia/ ctabant Euangelij nomine, fuisse seditio/ nis crudelissimæ instigatores. Quorum conatus si successissent, fortassis extitissent qui probarent, quod nunc re male gesta detestantur. Tu quidē libello in agricolas sæuissimo, suspitionē abs te depulisti, nec tamen efficis, quo minus credāt homines, per tuos libellos præsertim germanice scri ptos, in oleatos & rasos, in monachos, in episcopos, pro libertate Euangelica, cōtra tyrannidē humanā, hisce tumultibus fuis/ se datam occasionē. Nōdum tam male de te sentio Luthere, ut existimem te huc de/ stinasse tua cōsilia, sed tamen iam pridem quū hanc fabulā ordireris, è calami tui uio lentia cepi coniecturā, rem huc exiturā, & hoc erat quod primis literis admonui, ut ad hoc negocium adferres animū syncerū, cauerésq; ne quid impotenter aut factiose scriberes. Videbare suscepisse negociū pur gandi mores ecclesiæ, quos nemo non fa/ tetur eò prolapsos, ut nec uitia nostra, nec remedia

remedia pati possimus. Idem sæpe frustra tentatum est, & uicit mundus. Tu uidebaris ad hoc idoneus, & orbis applausus, fauorq; principũ felicem aliquẽ exitum pollicebatur, ad eam rem uidebam q̃ esset inutilis ista tua uiolentia, non in Pontifices tantũ, aut episcopos, in quos ferociam tuã plerique fortitudinẽ Euangelici pectoris interpretantur, sed in oẽs qui mutirent aduersum te. Nam quid in me scriberes nunquam fui sollicitus, & propemodum optabam, ut me tuo calamo lacesseres etiam non responsurum, tantum aberat, ut eam modestiam mihi persuaserit tui formido. Quod si paratus eras debacchari in omnes, qui fabulam abs te susceptam non omnino improbarent, actionem uero damnarent: id ego ante annos complures tot epistolis æditis testatus sum. Quur dissimulabas? Sed nolebas me exonerare inuidia, hoc erat cautum & callidum tuorum consilium. Moderationem autem non ego solus in tuis scriptis desideraui, desiderant etiam ij qui tibi sunt iuratissimi. Siquidem ipsa re comperiunt,

quot

quot hominum milia calami tui sæuitia, aut si mauis parum Euangelica facetia, abalienarit ab Euangelio, si modo quod tu doces Euangelium est. Ac multis quidem festiuus es uisus, quum in hunc & illum luderes, quum in pontificem & regem Angliæ, fortis etiam & intrepidus. Cæterum ubi pari modestia tractares Carolstadium, dictu mirum, quàm hic dissplicueris tuis συνεργοῖς. Et ferre non potes si ego qui sum alienus à uestro consortio modestiam in te desidero? Verum hæc aliàs fortassis incident opportunius. Illud risi fateor, quod negas te deterritum à respondendo timore mei. O fortem uirum. Quid ego audio? an tu tantus leo, timeas muscam Erasmum, aut si quid musca imbecillius? An mihi sunt armatæ phalanges, an ulla factio? An uersor in aulis principum, ut illos in te concitem? Nemo magis fugit aulas, & si quid mihi cum illis est consuetudinis, hactenus quoscunque potui, dictis & scriptis reuocaui à sæuitia, recte ne an perperam, alij uiderint. Ego carnifex esse non possum, factiones

ctiones semper odi, hactenus solus esse uolui, nisi quod ab ecclesia catholica non segregor. Nihil igitur erat quod metue/res, cum uno eóque inermi tibi tot coniu/ratis munito res erat. Sed armatus, inquis, es eloquentia. Eam in te non exercui, si quam habeo, nec hanc armaturam solum deposui: uerum etiam omnem autorita/tem ecclesiæ procerum, qua uel sola satis armatus uideri poteram. Quorsum igitur attinebat excusare timorẽ homuncionis, & unius & exarmati, qui & Pontifices & Cæsares, & Theologorũ cohortes hacte/nus fortissime cõtempsisti? Verum in his tibi rhetoricari libuit.

Iam illud qui cõsistit: ut mea Diatriba mul tos ex his qui spiritum è tuis scriptis non/dum hauserãt, subuerterit, quum adeo fri uolis nitatur argumentis, ut tibi tuisq; ri/sum potius ac miserationem mouerit? A/deóne facile deficiũt homies ab Euãgelio?

Ecce autem aliud incõmodum: ubiq; lu bricus sum, inter Scyllã & Charybdim na uigans: & hic scilicet fit mentio Protei & Vlyssis, miror quur ptermiseris, Polypos, & Chamæleõtes, Vertũnos, & Empusas:

Tale seculum Luthere nobis peperit tua fortitudo, ut iam de Christo nec bene loqui liceat, nec male. Quanquam est hoc hominis imperiti non temere quicquã asserere, sed ab aliorum magis pendere iudicio. Certe in Diatriba non ago Proteum, sed ingenue propositis diuersorũ sententijs, designo cum quibus mihi potissimũ congrediendum est, & post argumẽtationem aperte pronuncio, quam sententiam ipse sequar. Porrò quod mihi uideor, ut dicis, inter Scyllã nauigare, uix habeo quod respondeã, nisi tu declares, utrã ecclesiam Charybdim aut Scyllã appelles. Ab ecclesia Catholica nunq̃ defeci. Tuæ ecclesiæ adeo nunquã fuit animus dare nomen, ut homo plurimis alioqui nominibus infelicissimus, hoc certe nomine uidear mihi felix, quod constanter à uestro fœdere abstinuerim. Scio in hac ecclesia quàm uos papisticã uocatis, esse multos qui mihi displicent, sed tales uideo & in tua ecclesia. Leuius autem feruntur mala quibus assueueris. Fero igitur hanc ecclesiam donec uidero meliorẽ, & illa me ferre cogitur, donec ipse fiam melior. Nec infeliciter nauigat,

gat, qui inter duo diuersa mala medium cursum tenet.

Nunc ad ea quæ tu ex mea præfatione 6
decerpta, magno artificio detorques ad calumniam, & locum cõmunem de Scepticis nobis aperis. Hic statim excitas tragœdiam quod Scepticorum meminerim, quasi sentiam omnino nihil asserendum, nec facis calumniandi finem donec me facias atheon, quum præfatus sis te nolle nunc iudicare de animo meo. Quàm pulchre illa congruunt, optimo animo dicis, item nolo nunc de animo tuo iudicare, & quod sequitur, ἄθεον Lucianum in pectore circunfers. Et hic mihi liberũ facis, utrũ uideri uelim, ridiculus orator, an impius & insanus scriptor. Hæc est illa tua moderatio, qua meam Diatribam imitaris. Verum hic mihi uide quàm bis agas calumnioſe. Primum ipse nominatim excipio à Scepticis, quicquid sacris literis proditum est, aut quicquid nobis tradidit autoritas ecclesiæ. Nihil opus, ut mea uerba recenseam quum ipse recitaris. Proinde totus ille sermo, quo magno supercilio detestaris Scepticũ animũ in his

quæ sunt Christianæ religiõis, mauisq; uel Stoicis pertinaciores assertores, tibi sapientissimo oratori ꝓrsus extra causam declamatũ est, ut non pessime teipsum reprehenderis hisce uerbis: Sed ego longe stultissimus, q in re clariore quàm sol est, uerba & tempus perdo. Et tamen non potes desinere, sed subijcis, nõ minore temporis iactura: Quis Christianorum ferat assertiones esse contẽnendas? Hoc esset aliud nihil, quàm semel totã religionem, ac pietatem negasse, aut asseruisse nihil esse religionem, aut pietatem aut ullum dogma. Quid ergo tu quoq; asseris: nõ delector assertionibus, & hoc ingeniũ te malle quàm diuersum? Sic argumentaris homo sapientissimus aduersus imperitum, quasi mecũ non de causa, sed de principatu imperitiæ
9 certes. Neq; min⁹ absurda sunt quæ subijcis: Sed quid dices de istis tuis uerbis, ubi non de una lib. arbitrij causa, sed de totius religionis dogmatibus generaliter dicis, si liceret per inuiolabilẽ autoritatem diuinarum literarũ & ecclesiæ decreta, te discessurum in Scepticorũ sententiã, adeo nõ delectaris assertionibus? Quis Christianus sic

loqueretur

loqueretur? Ita tu. Quantū tribuam sacris literis, quamque non uacillem in articulis fidei, puto satis liquere ex scriptis meis. Hic adeo nō opto nec habeo Scepticum animum, ut pro his mortem oppetere nihil dubitaturus sim. Sed de dogmatibus contentiosis loquor, in quibus & olim ecclesia Sceptica fuit, diu considerans anteqū definiret, quod genus sunt, de processiōe sancti spiritus ab utroq;, de comprobatione uocis homusij, de transsubstantiatione panis in corp⁹ domini, de purgatorio, de baptismo nō iterādo, de baptizandis paruulis, de cōceptione uirginis matris, & fortassis de libero arbitrio: de his & huius generis quæstionibus loquor, in quibus si nihil definisset ecclesia, rogatus quid sentirē: responderem mihi non liquere, sed deo cognitum esse. Posteaquam de his quoq; definiuit ecclesia, cōtemptis argumentis humanis, sequor ecclesiæ decretum & Scepticus esse desino. Referam mea uerba, quæ tu satis rhetorice deprauas: Qui semper arcano quodam naturæ sensu abhorruerim à pugnis. Audis Luthere, me non de scripturis sacris, sed de pugnis, hoc est, contentiosis

tioſis quæſtiõibus agere? Et mox, eoq; ſem per habui prius, in liberioribus muſarũ cã- pis ludere, cũ ferro comínus congredi, & adeo non delector aſſertionibus, ut facile in Scepticorũ ſentẽtiam pedibus diſceſſu- rus ſim, ubicunq; per ſcripturarũ diuinarũ inuiolabilẽ autoritatem &c. Nimirũ impi us animus eſt, q nõ audet definire de quo nondũ definiuit eccleſia, quiq; in re cõtro- uerſa dubitationẽ animi ponit ad eccleſiæ proditam ſententiã. Quis Chriſtianus fe rat hunc animũ? Mox hunc animum meũ cõfero non cũ his qui aſſerunt ſymbolum apoſtolorũ, aut cõciliorũ decreta, aut con- ciliorũ præſcripta, ſed cũ ijs qui pertinaci- ter aſſeuerant omnia. Sic enim ſequit, atq; hoc ingeniũ mihi malo quàm quo uideo quoſdã eſſe præditos, ut impotenter addi- cti ſententiæ, nihil ferãt, quod ab ea diſcre- pet, ſed quicquid legunt in ſcripturis tor- quent ad aſſertionẽ opinionis, cui ſe ſemel mancipariũt, &c. Hæc quũ perſpicua ſint, quorſum ptinet locus cõmunis, quẽ atro- citer tractas aduerſus eos, qui putant nihil aſſerendum in diuinis libris aut in cauſa fidei? A temeritate definiẽdi abhorret ani- mus,

mus,nō ab asserēdo quæ tradita sunt fidei nostræ,nō sic excutiēda ut in dubiū reuoces,sed profitenda. Et hæc omnia dico sub psona hominis imperiti,quā mihi sumo te probante.Nec simpliciter eos damno,qui conantur moderata disputatione aliquid inquirere quod nō est expressum in sacris literis,aut ab ecclesia definitū,sed qui in huiusmodi quæstiōibus seditiose digladiant. Hæc sunt mea uerba, Quanꝙ illud libenter psuaserim mediocribus ingenijs,in huius generis quæstionibus nō adeo pertinaciter contendere,quæ citius lædunt Christianā concordiā,ꝙ adiuuent pietatē. Nō dāno moderatā inquisitionē,sed cōtentiosam digladiationē cū iactura pietatis & cōcordiæ.Audis Luthere me non oēs excludere ab huiusmodi q̄stionibus,sed mediocria tantū ingenia: At multo minus ea tractari uolo apud rudem plebeculam.
Verum hic urges me dilēmate:Si de friuolis quæstionibus loqueris, qd ad nos,q tractamus necessaria. Si de lib. arb. nō in loco tibi hæc dicta sunt, nec opus est te magistro. Audi nūc ad tuum mutilum syllogismū.Sunt aliquot quæstiones in quibus

non damnatur modesta inquisitio, quales sunt, de annis Mathusalem, & quoto ætatis anno Solomon factus sit pater, sed anxia inquisitio, cõtentioq; damnatur. Rursum multa themata uersantur inter Theologos scholasticos, de quibus nondũ dilucide pronũciauit ecclesia. De his sentit animus ille Scepticus. Sed urges, hic agi de libero arb. quod si colloco inter quæstiones friuolas, recte loquor, sed impie sentio: sin inter necessarias, pie sentio, sed impie loquor. Hic scilicet cõstringor inter sacrũ & saxũ. Sed facillimus exitus. Ego quæstionem an sit aliquid liberũ arbitriũ, adeo nõ iudico superuacaneã, ut potius hæreticum existimẽ, de eo dubitare quod ab Orthodoxis omnibus magno cõsensu traditum est, quod ecclesia clara uoce definit, non iam disputandum sed credendum. Oportet enim esse aliquẽ disputãdi finem. Nam quod nũc ueluti de re integra disputatur, tu nos cogis, qui tot iam seculis comprobata, fixa, & ἀκίνητα, reuocas in dubitationem, imò conuellis ac demoliris. Alioqui meum animum nulla unquam subijt dubitatio, an esset aliquid liberũ arbitrium.

Verum

Verum ut illud præscriptum est, esse liberum hominis arbitriū: ita multa disputantur circa quæstionē hanc, quæ sine dispendio salutis possent omitti, meo quidē iudicio, in quibus nec ueteres orthodoxi, nec recentiores per omnia consentiunt, & de quibus adhuc suam sententiā suspendit ecclesia. Adhuc enim disputatur inter scholasticos, an hæc propositio, deus aliqua præscit contingenter, in aliquo sensu uera sit. Nec desunt qui credant omnia contingentia à deo contingenter præsciri, quum fateantur dei præscientiā falli nō posse. Rursum an deus omnia faciat necessitate. Item nihil certius est q̄ esse tres personas proprietatibus inter se differentes, quum sint eadem essentia. Cæterum circa materiam hanc multa quæsita sunt olim ab Augustino, plura à recentioribus, quomodo differat persona à persona, & quare productio sancti spiritus à patre, processio dicat̄ non generatio: Et an diuina essentia generet aut generetur, & an sit eadem identitas diuinæ essentiæ ad quamlibet personam in Triade, quæ est diuinæ essentiæ ad ipsam diuinā essentiam: Et an potentia generādi

in patre, sit absolutum quiddam an respe/ctiuũ: Et an potentia generãdi possit com municari filio à patre. Item, si concedatur deum generare deum, utrũ deus generet seipsum deum, an alium deũ. Hoc genus innumera tractãtur circa simplicissimum & clarissimum articulum fidei Catholicæ, nec in scholis opinor impie disputari, mo/do sobrie: Ita circa quæstionẽ prædestina/tionis quæ est affinis lib. arb. quærunt an possibile sit, aliquem prædestinatũ damna ri, & reprobatũ saluari. Item an præter di/uinam uoluntatem sit alia causa prædesti/nationis aut reprobationis. Hæc tractare in scholis modo sobrie, non improbo, ue/rũ cõsultius arbitror, ut qui mediocri sunt ingenio, abstineant ab hoc quæstionũ ge/nere in quibus periculose erratur, nec tra/ctentur apud populũ. Non igitur damno qui apud populum docẽt, esse liberũ arb. simul adnitens cum adiuuante gratia, sed qui apud rudem plebeculã tractãt eas dif cultates quas uix in scholis cõuenit. Velu/ti sacerdos pie docet populum, esse patrẽ, & filium & spiritum sanctum. Cæterum il/las scholasticorum difficultates, de notio/

nibus,

nibus, de realitate & relationibus tractare apud promiscuam multitudinem, an expediat tu uideris. Huius generis exẽpla quũ aliquot proponã in Diatriba, intermisces hæc uerba, non sine aculeo & suspicione. Quid hic est suspitiõis, si nolim ea quæ circa has materias disputant Scotistæ & Occanistæ disputari apud imperitos, ne apud doctos quidem altius in hæc penetrari cẽs sat est? Aut quẽ aculeum mihi narras? An ut suggillem articulum de tribus personis & eadem essentia? Quid enim tu dubitabis impingere, quẽ non pudet toties Erasmum uocare Lucianũ & Epicurum? De peccato irremissibili dicetur aliâs. Sũt igitur quæstiones prorsus inutiles, quales arbitror de instãtibus & prioritatibus; & an sit propositio possibilis, pater odit filium deũ, & an anima Christi potuerit falli aut mẽtiri. Sunt rursus utiles, sed in quibus nõ sit operæprecium sic cõtendere, ut scindamus Christianam concordiã, sed satius est ut permittamus unumquemq; in suo sensu abũdare. Sunt rursus dogmata maxime necessaria, sed in qbus aliquousq; pgredi licet, quoad nobis prælucet scriptura diuina,

na. Quod genus est de uno deo ac tribus personis. Quanquam hic quoq; bis peccatur, si uel altius scrutemur q̃ oportet, uel apud eos tractemus quibus hæc non conueniunt. Hanc fuisse mentem meã, palàm perspiciet, qui meam Diatribam attẽte legerit. Quare etiã atq; etiã te rogo Luthere, quid ad hãc causam faciũt, tot tua cõuitia, tot calũniæ, tot insultatiões, tot uociferationes, tot execratiões, me optare in literis sacris Scepticorũ licentiã, me nihil curare, utrũ assequar an nõ assequar quod præscribit scriptura aut ecclesia, & mea uerba nihil aliud sonare, quàm apud me nihil referre quicquid à quolibet ubiq; credatur, modo pax mundi constet, liceatq; ob periculum uitæ, famæ, rerum & fauoris, illum imitari qui dixit: Aiunt, aio: negant, nego: & habere Christiana dogmata nihilo melíora, quàm philosophorum opiniones, & ex uerbis meis nihil aliud declarari, quàm me in corde Lucianum aut alium quendã de grege Epicuri porcum alere, qui quum ipse nihil credat esse deum, rideat occulte omnes qui credũt, & confitentur: & ais alibi me tibi grãdem inhalare crapulã Epicuri, nec

ri, nec aliud ſpirare quàm Lucianũ ἄθεον.
Nec his tantis conuicijs contentus, etiam
figurã rhetoricam adhibes: Scis, inquiens,
quid hic premam. Hic tibi præſto ſunt illæ
tuæ hyperbolæ, ſine qbus nihil ſcribis. So-
phiſtis, ſic enim uocas Theologos, ubiqꝫ
tribuis ſummã impietatẽ, & me facis tam
impie ſcribentẽ, ut ab impijs fuerim denti-
bus dilacerandus, niſi tu eos tua pietate re-
uocaſſes. Perinde quaſi dicas, baſiliſcũ nec
ab alijs uenenis tolerari. Deinde quũ me
toties facias Lucianũ ἄθεον, qui dicã in cor
de meo: nõ eſt deus, quũ me facias Epicu-
ri de grege porcum, quaſi credam aut nul
lum eſſe deum, aut ſi quis eſt, ei nõ eſſe cu
ræ res mortaliũ, hæc inꝫ quum impingas,
quibus ne fingi quidem quicquam poteſt
atrocius, tamen addis hyperbolam, me ſci
re, quid hic premas. Hic erat locus in te de
bacchandi, ſi calami tui petulantiam imi-
tari uellem. Nihil erat opus tam impudẽti
bus cõmentis. Poteram ex aliorum ſenten
tijs aperire quod monſtrũ tu celes in cor-
de, & quẽ ſpiritũ tua ſcripta nobis inhalẽt.
Etenim ſi tibi ius facis quidlibet in me ia-
culari uel ex tuorũ ueredariorũ delationi-
bus

bus,uel ex fratrũ literis;uel ex animi tui di uinatione,quãto iustius ego possem idem ex Cæsaris ac põtificum diplomatibus, ex grauiũ uirorũ libris in te proditis? Obte/stor tuum istum spiritũ quẽ toties nobis ia ctas Luthere, utrũ hæc ex animo scribis, an in odiũ mei confingis? Si me sentis esse talẽ qualẽ describis,falsissimam de me con cepisti opinionẽ: sin ista quod magis cre/do cõfingis, facile diuinas qualem ego de te concipiam opinionem. Sin hæc ad te detulerunt fideles in Christo fratres,pessi/ma fide mentiti sunt. An ideo mihi curæ non sunt ecclesiæ dogmata, quia tuas da/mnatas assertiones tueri recuso? An hoc testantur tot meæ lucubrationes, me cre/dere nihil esse deum? Quorsum opus erat tantum laboris desudare, quum licuerit prophanas tractare materias? Aut quis unquam audiuit ex me uocem de deo im piam? Verũ scio te longe aliud sentire & scribis, neque cuiquã obscurum erit quo spiritu afflatus hæc tam odiose scripseris. Nec illa fucata facient, ut quisquam tibi credat: Metue spiritum dei qui scrutatur renes & corda, nec fallitur compositis

uerbis

uerbis. Huiuſmodi ſi uelim in te uiciſſim uti, quantã dicendi copiam mihi non ars rhetorica, ſed ipſa res ſuppeditatura ſit, & tu uides, opinor. Sed certum eſt tueri promiſſum, depellam intentatã calumniam, non recalumniabor. Quanquam hæc calumnia tam impudens eſt, ut non egeat ullo patrocinio. Ergo ad rem. Si tibi uſq; adeo diſplicent Sceptici, ſi tantopere placent aſſertores, quur quod ab orthodoxis omnibus aſſertum eſt, quod eccleſiæ clariſſima uoce præſcriptum eſt, audes cõuellere? Vtrum magis impium eſt, nõ diſputare pluſquã ſat eſt de dogmatibus Chriſtianis, an ea labefactare, diſſicere, conculcare, & his ornare uocabulis quibus tu ornas? Hic mihi rurſus ingeres tuam figurã, quaſi tu reuerearis (inquis) ſcripturas & eccleſiam. Quid ſupereſt, niſi ut prophetiæ ſpiritum tibi uindices, immõ diuinitatem quandam, ut pronuncies quid quiſque celet in corde? Et tamen toties repetis, te nolle de animo meo iudicare. Solꝰ deus dictꝰ eſt καρδιογνώστης. Excute tuũ cor, & noli de alieno iudicare. Vides hic Luthere qd mereatis audire? Ego nõ reuereor ſcripturas

ſacras

5 sacras, & tu reuereris? Et hic scilicet erat locus scommati: Verũ tu de cõfitendo Christo, & dogmatibus eius, hic nihil uoles dixisse. Recte moneor, & ego in gratiã tui, meo iuri cedo, ac de animo tuo nolo iudicare, inq; aliud tempus uel alijs id reseruo. Hæc uerba quid olent, quid spirant, quid sapiũt? Quid nisi spiritũ synceritatis Euangelicæ? Obsecro te si uelles, potes tu iudicare de animo meo, etsi iudicares, qd aliud q; impudentiã lucrifaceres? Aut quod ius tuũ uocas, quod in gratiã meã cedis? Nũ licentiam in quoslibet iaculãdi quidlibet? Aut quẽ morem tuũ mea causa relinquis? Nonne toto hoc libro morem antiquum obtines, nisi quod maledictis & calumnijs teipsum superas? Aut quod tempus, quos alios sycophãtas mihi minitaris? Ità ne tu purgatus eris ecclesiæ catholicæ, si mihi crimẽ impietatis impegeris? Istis artibus, opinor, apostoli mundũ pellexerunt ad Euangeliũ. Hoc uolo te tuosq; omnes scire, primum quod ad scripturas attinet, fieri potest, ut in his enarrandis labar imprudẽs, quod, ut tu pdicas, passim accidit Hieronymo. Cæterũ nõ alia in re magis colloco uel spei,

uel spei, uel solatij & in diuinis literis, ex quibus arbitror me tantum hausisse lucis, ut absq; tuis contentiosis dogmatibus ex misericordia domini sperem æternam salutem. Itaque scripturarum non minor est apud me reuerentia, & apud eos qui illas adorant religiosissime. Deinde quod ad ecclesiæ reuerentiam pertinet, fateor me semper optasse repurgari ecclesiam à quibusdam moribus, nec me per omnia assentiri omnibus dogmatibus scholasticorum. Cæterũ Ecclesiæ catholicæ decreta præsertim ea quæ generalibus synodis prodita sunt, & Christiani populi consensu cõprobata, tantum apud me ponderis habent, ut etiã si meum ingeniolum humanis rationibus non assequatur qd' præscribit, tñ uelut oraculum à deo profectum sim amplexurus, nec ulla ecclesiæ cõstitutio à me uiolabit, nisi necessitas ipsa legem relaxet. Ac mihi uehemẽter displicerem, animoq; discruciarer, si proceres ecclesiæ eam sententiam in me tulissent quã in te pnunciarũt. qualẽ causam sis habiturus apud deũ, ipe uideris. Hunc animum hactenus præstiti & pstabo. Tu diuina ex tuo animo quæcũq;

d uoles

uoles, ac me terq́ quaterq́ papisticũ appel la. Animo meo nihil potes obijcere, nisi quod cum om̃ibus bonis uiris optaui cor/ rectionẽ ecclesiæ, si sine graui rerũ tumul/ tu fieri posset. Nec te pudet toties mihi ob/ ijcere optatã Scepticorum licentiam, qua/ si quod per se falsum est repetendo & asse uerãdo fiat uerũ. In literis sacris, quoties sen sus dilucidus est, nihil scepticum esse uolo: similiter nec in decretis ecclesiæ catholicæ. Cæterum in alijs de quibus assertores ma/ gna contentione digladiantur, dico me fa cile discessurum in sententiam Scepticorũ, hoc est diu consideraturũ, nec temere pro nunciaturũ. Non est igitur Scepticus qui nõ curat scire quid uerũ quid falsum, quũ à considerãdo nomen habeant, sed qui nõ facile definit, neq́ pro sua opinione digla/ diatur, uerum quod alius sequitur ut cer/ tũ, ille sequitur ut probabile. Tales Scepti/ cos uideas fuisse ueteres Orthodoxos fre quenter in enarrandis sacris literis, inqui/ rentes ac suspendentes interim sentẽtiam, iudicium alijs deferentes. Et in plerisq́ de/ finiendis ecclesia Sceptica fuit, multis secu lis suspendens sententiam. Quis autem tã

per/

peruersæ mentis est, ut malit nihil certi scire, q̃ omniũ rerum habere certã scientiã? Verum in tanta rerũ caligine, modestius simul & quietius est Scepticũ agere q̃ cõtentiosum assertorẽ. Quid erit tandẽ quod tu nõ depraues ad calumniã? Quàm uero amãter interpretaris qd̃ scripserã, siue asse quor siue nõ assequor, id est, nõ curas, an assequaris nec ne. Et addis grauiter, Christianus uero anathema sit, si nõ certus sit & assequit, qd̃ ei præscribit, quomõ eñ credet qd̃ nõ assequit? Ita ne uir egregie assequi est certum scire? An potius rem intellectu difficilem, ingenij uiribus, & naturalibus argumẽtis percipere? Neque te fugiebat, quid sentirẽ, nõ usq; adeo rudis es Latini sermonis, sed huc te rapuit calumniandi libido. Et si parum scires Latine, ipse sermonis contextus indicat quid sentiam. Quid enim aliud est submittere sensum humanũ ecclesiæ iudicio, nisi credere quod præscribit ecclesia? Ego non assequor quomodo differat pater à filio, quomodo procedat spiritus sanctus ab utroq;, quum neutrius sit filius, & tamen hoc apud me certius est, q̃ quod digitis contrecto.

Et uide quàm inique calumniaris omnia: Eandem ſententiam quam in mea diatriba calumniaris multisq; conuiciis exagitas, ipſe ponis in tua formula: qua meam ſcilicet corrigis. Vbicunq; inquis per infirmitatem liceret. &c. Quod tu uocas infirmitatẽ carnis: ego dico nõ aſſequi. Neq; em̃ ueritas eſt in cauſa, quo minus aſſequamur ſed infirmitas ingenij, quale me profiteor habere. Hic αὖθις αὖ quadruplicem litẽ moues. Primum quod ſcripſeram in ſacris literis eſſe aliquid obſcurum, deinde quod tibi ius adimam reſcindendi, quæ ſunt à priſcis decreta, deniq; quod nolim omnia apud quoſuis euulgari, ut ad medium primo loco reſpondeam, ius iſtud adimat tibi qui dedit, ſurgente poſteriore propheta iubetur prior tacere, quid tum poſtea? Ergo ne fas eſt cuiuis reſcindere ueterum ſententias publico eccleſiæ iudicio cõprobatas? Deniq; quur tu ſic commoueris in prophetas qui ſurgũt poſt te? Quur illis iuxta Pauli præceptum non das locũ? Deinde quod dicis de luce ſcripturarum, utinam eſſet ueriſſimum. Sed longe aliter ſentiũt qui in hac explanãda multis retro ſeculis deſudarunt.

rũt. De hoc posterius icidet ut loquamur. Atq; hũc campum ingrediens, statim uteris arte tua, dicẽs quod ego Christiana dogmata sic distinguam, ut quædam sint necessaria cognitu, quædam minus. Obsecro quis unq; dixit Christiana dogmata non esse cognitu necessaria? De quæstionũ genẽribus loquor, nõ de Christianis dogmatibus. Deinde non illic ago de professoribus Theologiæ, sed de uulgo. Nam hodie & coriarij in compotationibus disputant de libero arbitrio. Iam quod ipse fateris in signis tantum obscuritatem esse, non in rebus, haud magni refert ad excludendã obscuritatem: utrum fatearis res non intelligi, ppter ignoratas uoces, an rerũ caliginẽ esse in causa ut uoces nõ intelligant. Qd si sola grãmatices peritia, submouet omnẽ obscuritatem à sacris literis; qui factum est ut diuus Hieronymus, linguis oĩbus instructus, sic passim hæreat, sudet in explanandis prophetis? ne quid alios cõmemorem in quibus est & Augustinus cui nõnihil tribuis. Quur tu ipse qui linguarum inscitiã non potes prætexere, nonnunq; hæres in explicandis psalmis, testificans te

ſomniũ animi tui ſequi, non dãnatis aliorũ opiniõibus. Atqui ſi ueritas ĩ ꝓpatulo eſt, oportebat eorũ opiniones qui à uero aberraſſẽt reꝑcere. Hoc eũ certe decebat, qui ſic odit Sceptícos, ꝓfeſſus aſſertorẽ. Denicꝙ quur inter tuos fratres adeo male cõuenit? Eandẽ ſcripturã habent oẽs, eundẽ ſpiritũ ſibi uindicãt oẽs. Et tñ Carolſtadius abs te fortiter diſſenſit. Diſſentit & Zuinglius & Oecolãpadius & Capito, qui Carolſtadiꝝ ſentẽtiam probãt, probationes nõ probãt. Rurſus inter Zuinglium & Balthazarũ, quantis de rebus quantum eſt diſſidium? Ne cõmemorẽ imagines ab aliꝭs eiectas, per te defenſas, ut taceam de nouo baptiſmo, ab aliꝭs prædicato, ut ſileam humanas diſciplinas, ab aliꝭs reprobatas, abs te defenſas. Quũ tractetis oẽs rem ſcripturæ, ſi ea nihil habet obſcuritatis, quur inter uos tam male conuenit? Nec eſt quod hic miſeros ſophiſtas exagites, docet hoc Auguſtinus, obſcuritatem aliãs proficiſci ex ignoratione ſeu ambiguitate uocum, aliãs ex ipſa natura rei, nõnunꝙ ex tropis & allegoriꝭs, interdũ ex locis inter ſe pugnantibus, quod ad ſermõis ſpeciẽ attinet. Et cau-

ſam

ſam adfert, quare deus hanc obſcuritatē in ſacris uoluminibus reſidere uoluerit. In loco de peccato in ſpiritum ſanctū nunc̄ remittendo, negas quic̄ eſſe obſcuritatis. At Auguſtinus fatet̄ ſe ſemper uitaſſe huius difficillimæ quæſtionis moleſtiā, & tñ quum tractet eam accurate, non ſibi fidit, ſed ſuſpēdit ſententiā. Breuiter an ſibi ſatisfecerit neſcio, mihi nō ſatisfecit. Verba ſunt, ut ais, clariſſima, peccatū irremiſſibile, ſed doce, quæ ſit illa blaſphemia in patrē aut filiū, cui promittit̄ remiſſio, quæ in ſpiritū ſanctū cui negat̄. An cōtumelia patris & filij nō ptinet ad ſpiritū ſanctū? Deinde qd̄ eſt illud ſeculū futurum, in quo uident̄ condonari quædā peccata. Vide quāta ſit in clariſſimis uerbis obſcuritas. Quæ non torquet Auguſtinus, ut ex his anguſtijs ſemet explicet, & tñ nō explicat, nec mea nec ſua iā pius ſentētia. Porrō qd̄ me cū oībus ſophiſtis, puocas, ut uł unū locū obſcurū aut abſtruſū, pferamus è diuinis uoluminibus, quē tu nō ſtatim oſtēdas eſſe dilucidū, uti nā præſtare poſſes quod polliceris: deferemus ad te difficultatū examina, tibic̄ cōdonabimus, ſi nos appelles talpis cœciores

modo luculenter explices in quibus hære/mus. Quod si nobis hāc legem præscribas, ut quicquid tu fueris interpretatus, id cre/damus sentire scripturam, non patientur tui sodales, qui tibi fortiter reclamant asse/uerātes te de Eucharistia perperam inter/pretari scripturas. Quare non æquum est nos tibi plus autoritatis tribucre, & tribu/unt tuæ professionis sodales præcipui. Iam quum hic agamus de difficultate quæstio/nū, quæ ex mysticis literis nascuntur, uelu/ti quum quærimus quid sit illud, quod di/stinguit in sacra triade personā à persona, res an relatio, & an spiritus sanctus quum procedat ab utroq; ab uno principio pro/cedat, an à duobus, aliaq; inumera, Itē quū legamus impijs pœst hanc uitam denunci/ari ignem gehennæ, quæsitum an impiorū animæ statim ut auulsæ sunt à corpore, de/dantur supplicijs, an seruentur luituræ pœ/nas in die supremo, Rursus an ignis ille sit materialis, et si est, quomodo res corporea agat in animā incorpoream: Tu qui solus nūq; deflectis à re proposita, mire huc con/fers scripturas & rationes, de lapide reuo/luto à monumēto, de Euāgelio prædicato

omni

omni creaturæ, quasi tales difficultates prædicarint apostoli: Quod si nomen Euangelij Christicq; quæstiones eiusmodi uniuersas cõplectitur, unde factũ est, ut post prædicatũ Euãgeliũ tanta cœcitas resederit in ecclesia dei, ut post apostolos nullus extiterit, præter Ioãnẽ Hus & Vuycleuũ, qui nõ passim hæreat in sacris literis. Nisi forte sẽtis nihil ultra quærendũ, cq; sacris literis expressum est. At hoc nec te nec tuos sentire uerisimile est. Nã tu hactenus cũ ecclesia faciẽs pronũcias, ĩ synaxi uerũ esse corpus & sanguinẽ, id est, substãtialiter: Atqui substantiæ uox non est in sacris literis. Rursus tui fortissime contendũt, non esse illic corpus & sanguinem nisi in signo efficaci. Ne hoc quidem exprimunt sacræ litteræ. Omnibus inquis notum est, filium dei factũ hominẽ, esse deũ trinum & unũ, Christũ pro nobis passum & regnaturũ in æternũ, poteras eadem opera è symbolo proferre duodecim articulos. Ista fateor & laicis decantãda. Sed qd hoc ad difficultates quæstionũ quæ ex his articulis oriũtur? Nam nos de his loquebamur, nõ disputandis apud promiscuam plebem. Proinde uides opi-

nor q̄ illa sint aprosdionysa quæ citas, præ dicate Euāgeliū oīi creaturæ: & in omnē terram exiuit sonus eorū, & quæcunq; scripta sunt ad nostram doctrinā scripta sunt, Et omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum &c. Ista quis unq; negauit? Hæc scilicet faciebāt ad Rombum, ut tuis abutar facetijs. Porrò quod reijcis meum Coricium specum qui declarat aliquo usque scrutandas literas sacras, cæterum altius quàm sat est ingredi nefas esse, ne scrutator maiestatis opprimatur à gloria, sed abstrusissima quæque mysteria omnibus in promptu atq; propatulo esse, satis tu quidem fortiter asseris, sed ipso mū do req; ipa redarguāte, postremo tuis ipius scriptis, ac tuorū dissidio refellente quod asseris. Non admodum excutiā hic distinctionem tuam qua discernis deum à scriptura, quem admodū creatorem à creatura, quam propositurus, nescio quamobrē profitearis te uelle rhetoricari aut dialecticari, aptius erat si dixisses sophisticari. Nā illi distinctionibus solent elabi, quod tu nihilo rarius neq; uerecūdius facis q̄ illi, quoties tibi commodum est. Scriptura nobis

deum

deum depingit, ac de diuinæ naturæ my-
steriis loquitur. Proinde sermo de re ut est
incomprehensibili, & ipse aliqua ex parte
incõprehẽsibilis sit oportet. Nec refero, p-
nomẽ eius ad scripturã ut tu diuinas, sed
ad deũ. Inepte igitur, inquis, accõmodas
ad scripturam, quum illic loquatur de deo,
quẽadmodum & Esaias, uerum inter sese
respondent imago & res expressa. Et Pau-
lus añcꝫ ad hæc uerba ueniret, tractauerat
ex sacris literis difficillimam quæstionem
de Iacob dilecto, & Esau odio habito: de fi
gulo & luto fictili. Quare non tam inepte
mihi tractata sunt hæc loca, quàm tu uide
ri uis, sed quæ adducis testimonia, nihil fa
ciunt ad sensum meum, qui tamen non ui 17
detur fugisse te, quum Nunc in modũ scri-
bis, Si loqueris de sophistarum quæstioni
bus circa has res agitatis, quid tibi fecit in-
nocentissima scriptura &c.'

Sciebas igitur me non de scriptura, sed de
quæstionibus hinc existentibus loqui.
Proinde quorsum attinebat tot uerba in-
cassum fundere?

Quanquàm non omnes quæstiones so-
phisticæ sunt, sunt & utiles & necessariæ,
modo

modo sobriæ sint,& quoad fas est progre/diantur,& tamen in his sunt quædam,quæ nec à quibuslibet tractanda sunt,nec apud quoslibet. Rursus illa dictinctio de obscu ritate interna & externa,ad nihil conducit nisi ut elabaris,noscq; tua loquētia delasses. Nec in hoc dico in scripturis esse difficulta tem aliquot locis,ut homines ab eius lecti one deterream, sed ut exhorter potius ad acre studium, & à decernendi temeritate dehorter parum exercitatos. Verum hæc aliâs fortassis incident.

Veniā ad formulā Christianæ mentis,quā tu pronūcias plusq; ethnicā et Iudaicā,quā tamē,ut dictū est, præscripsimus nō tui si/milibus,sed idiotis, qui nihil aliud sunt q; Christiani. Sed præstat ipsam formā hic re ferre,quo magis perspicuū sit lectori quod agimus. Ego meo (inq;) iudicio,quod ad li berū arbitrium attinet,quæ didicimus è sa cris literis,si in uia pietatis sumus, ut alacri ter proficiamus ad meliora relictorum ob/liti,si peccatis inuoluti,ut totis uiribus eni/tamur,adeamus remedium pœnitentiæ,ac domini misericordiā modis omnibus am/biamus. sine qua nec uolūtas humana est

efficax

efficax, nec conatus, & si quid mali est, nobis imputemus, si quid boni totũ asscribamus diuinæ benignitati, cui debemus & hoc ipsum quod sumus, Cæterũ, quicquid nobis accidit in hac uita, siue lętũ siue triste ad nostram salutẽ ab illo credamus immitti, nec ullam posse fieri nobis iniuriã, à deo naturæ iusto, etiã si qua nobis uidentur accidere indignis, Nemini desperandã esse ueniam à deo, natura clementissimo. Hæc inq̃ tenere meo iudicio satis erat ad Christianã pietatem, nec erat irreligiosa curiositate irrumpendũ, ad illa retrusa, ne dicã supuacanea, an deus contingẽter præsciat aliquid. &c. Primũ ut sæpe iam dictũ est hæc forma datur idiotis Christianis, quibus satis est, ut pro uiribus proficiant, seq̃ totos uolũtati diuinæ cõmendent, nec ab his opinor requires, ut sese torqueãt quæstionibus ne inter Theologos quidẽ satis explicatis, de futuris contingentibus, de præscientia & prædestinatiõe dei: & affingis me hic deposito Sceptico, asseuerare, quũ bis adijciã meo quidẽ iudicio. Verum istiusmodi permulta tibi permittis, & ego ne nimium hic operæ sumam, ad multa con-

niuebo

niuebo. Nunc enim dissuasi, ne quum in/ciderit opportunitas, populus quoq; audi/at, esse liberum arbitriũ, sed inefficax absq; dei gratia: uerum illa quæ nunc doces po/pulum, nullum esse liberum arbitrium, o/mnia mera necessitate fieri, præterq; quod falsa sunt, pernicíose dicuntur apud impe/ritam multitudinem, nec mihi uidetur con/sultum, ut etiam qui asserunt liberum arbi/trium, cæteras huius quæstionis difficulta/tes tractent apud populum. Quot sunt pu/rissimi Christianissimi uirgines quæ sese to/tas diuinæ uoluntati cõsecrarũt, nec tamẽ intelligunt, quomodo præsciat deus, & an aliquid præsciat quod nolit, & quomodo eadem uelit, & nõ uelit, & quomodo præ/sciat contingentia, quæ pendent ab huma/na uoluntate. Corpus nostrum non intelli/git quomodo uim suam in ipso exerat ani/ma, satis est, qđ animo se præbet morige/rum, ita non est necesse ut anima sciat qui/bus modis in ipsa operetur gratia, sufficit quod se gratiæ præbet obsequentẽ. Tu ue/ro putas nihil esse religiosum, si hæc à reli/gione Christiana semoueantur, an nostra uoluntas agat aliquid cum operante gra/tia, an

tia, an deus præsciat aliqua contingenter, sed hæc occurrent suis locis. Nondum enim disputamus, sed tuas calumnias quibus liber tu⁹ undiq; scatet refellimus. Quarum hæc una non multum habet frontis, quantum mentis nescio. Formam hanc damnas ut ethnicam ac Iudaicam, quod ne iota quidem fecerim mentionem Christi; quasi doceam esse pietatem Christianam sine Christo, tantum si deus natura clementissimus totis uiribus colatur: quanquàm hæc uerba, tãtum si deus &c. de tuo affinxisti, ne non haberet aliquem fucum tua calumnia. Hic iterum appello tuam cõscientiam Luthere, non te pudet tales nænias miseris chartis illinere? Tu huc torques mea uerba, quasi formã totius Christianismi præscripserim omnibus. Imò præscripsi quod satis esset simplicibus aduersus cõtentiosas difficultates, & propemodum inexplicabiles, quæ tractantur circa materiã liberi arbitrij. Cedo mihi, ubi nominatur deus, utiq; Christianorũ, an illic abest Christus? nisi Christũ nõ habes pro deo. Et ubi Christianus nominatur, an ibi dẽ non intelligit Chr̃s? In cuius libris frequen-

quentius inculcatur nomen Iesu Christi, & in meis? Et post tã euidentẽ calũniam, de nihilo suscitatã, ifers hæc tragica. Quid hic dicã Erasme? Totus Lucianum spiras, & inhalas mihi grandem Epicuri crapulã. Nunc & tibi deest quod dicas, sed puto cordato lectori non esse obscurũ, quid hic de te cogitem. Iam illud mihi uide & tibi non constes, homo adamantinus: cui Erasmus est Proteus. Id accidere solet, quoties quis nõ ex animo loquitur. Admoneo ut Christianus se totum mãcipet uolũtati diuinæ, & totus spiro Lucianum, & inhalo crapulam Epicuri. An hoc est negantis esse ullũ deum? Num hoc est spirare Lucianũ qui ἄθεος dictus est, quod in libris suis deridet omnes gentium deos, hactenus pĩ uocabulo dignus, si uerũ deum agnouisset? An hoc est inhalare crapulã Epicuri? Quo modo quis cõmittet se totum deo, quẽ aut credat nõ esse, aut si est, non tangi cura rerum humanarũ. Rursum qui credit omnia tũ læta tum tristia pĩs immitti à propitio deo ad salutem nostrã, an is existimat res hoim nõ esse curæ deo? Etiã atq; etiã uide Luthere, quo te rapit impetus animi tui, cui

cui nimium obsequeris, cõtra & decorum est personæ, quam ipse tibi imposuisti.
Et tamen quasi iam argumẽtis irrefutabilibus euiceris quod intendis, adornas gloriosum, prolixum ac magnificũ triumphũ, quem agis aliquot capitibus. Hæc uerba Luthere, totis uiribus enitamur, adeamus remedium pœnitẽtiæ, ac domini misericordiam omnibus modis ambiamus, sine qua nec uoluntas humana efficax &c. non miror tibi uideri sine Christo, sine spiritu dicta, et quauis glacie frigidiora, quũ dissẽtiant à tuis dogmatibus, à quibus quicquid discrepat, impium est tuo sane iudicio, & hæc ipsa tamen uidẽtur tibi non ex animo dicta, sed metu pontificum ac tyrannorũ extorta, ne prorsus uiderer ἄθεος. Dic mihi καρδιογνώστα: est ne ullꝰ locus in tot meis lucubrationibus qui aliter loquitur de libero arbitrio quàm hic loquor, iuxta definitionem ecclesiæ, et orthodoxorum sententiã? Aut audiuit me quisq; approbantem tuã de libero arbitrio sententiam? Qua igitur fronte fingis metu principum nunc demum hæc uerba à me extorta? Malueram tecum in harena gladiatoria non commit- 12

ri,uel quia præuidebam me nihil profectu rũ,nisi ut equũ in campum,quod aiũt,pro/ uocarem, uel quia malueram alijs uacare studijs. Proinde si me dicas aduersus ani/ mi sententiam prodisse in harenam, non aberras à uero. Sin existimas me tecum sentire,quum aliud apud me celem,aut er/ ras tota uia, aut impudentissime confin/ gis hoc,ut alia multa. Inuitus ac detrectãs accessi ad cõflictum,sed in ipso cõflictu ni hil aliud defendi,quàm & sensi semper & hodie sentio. Id quod testificatus sum & in mea diatriba. Et tu iam olim in me stoma chaberis, (id arguunt literæ tuæ à tuis ex/ cusæ) quod in causa liberi arbitrij abs te dis/ sentirem. Vnde igitur nouus ille tyranno rum metus qui has uoculas expressit ad/ uersus animi mei sententiam? Illud scito Lu there nullũ esse dogma tuum, de dãnatis loquor, in quo tecũ per omnia sentiam, ni si qd quæ scribis in mores ecclesiæ corru/ ptos,ueriora sunt & uellẽ. Tantũ abest,ut hac una in parte abs te dissentiam. Quare posthac omitte illas blãdas appellationes, mi Erasme,mi Erasme,& istis palpis tibi in ratis caput demulce.

Atq;

Atq; hic mirum q̃ tibi fluant uerba tragi/
ca, falso multumque fluenti expressa arbu/
sto, quasi omnibus interdixerim ne uesti/
gent quid possit uolũtas nostra, quid agat
in nobis gratia dei. Imò quæ curiosius cir/
ca hæc disputantur, non requiro ab omni/
bus Christianis, & nego esse uentilanda a/
pud populum. Et legis in mea diatriba ta/
xatos eos, qui irreligiosa curiositate in hæc
irrumpunt, significante aliquam piam esse
curiositatem, qua hæc aliquo usq; sobrie ci/
traq; contentionem possint inuestigari. Et
uis nullũ haberi pro Christiano qui igno/
ret, quid sit in nobis illud quod uocatur
liberum arbitrium, & utrũ sit in uoluntate
tantum an etiam in intellectu: Et an tantũ
patiatur ab agente gratia &c.

Superiores illæ quæstiões, & illis similes
possũt à simpliciter christianis simpliciter
credi, etiamsi non excutiantur subtilitate
scholastica. Proinde quoniã à scopo nostri
sermonis aberrasti, quicquid hic atrocibus
uerbis exaggeras, irreligiosum, impium su/
peruacaneũ, frustra tibi dictũ est. Deinde
quid opus est simplices Christianos disputare de cõtingentibus, deq; uolũtate tantũ

patiente,quum iam eccleſia magiſtra per/ſuaſum habeant, aliquid agere uoluntatē, uerum id inefficax eſſe,niſi perpetuo adſit opitulatrix gratia. Hoc dogma iam annis mille quingentis tenuit populus Chriſtia/nus. Nec de hoc diſputare fas eſt,niſi ſi qui moderate in hoc diſputent,ut magis con/firmetur quod tradidit eccleſia. Cæterum quod in cōgreſſu profiteor me diſputato/rem,non iudicem, ciuilitas erat quam tibi tuiſq; tribui,qua ſimul & autoritate conci liorum,pontificum et academiarū memet exarmaui. Quid enim attinebat me pro/nūciare,de quo iam olim pronūciauit ec/cleſia catholica? Proinde quum hoc agam tota mea diatriba, ut euincam eſſe uerum quod definiuit eccleſia, eſſe in homine uim liberi arbitrij, quæ operanti in nobis gra/tiæ cooperet, ſed ſic ut ipſum non aſſequa tur ſalutem abſq; gratia: quid attinet mihi ingerere mea uerba, quibus aſſero uolun/tatem aliquid agere, in his quæ pertinent ad æternam ſalutem,& hanc rurſus ineffi/cacem eſſe, ſine miſericordia dei? Sed hic mecum pugno,ut ais,qui præfatus ſim,eſ/ſe curioſum his de rebus diſputare. Nō ſo/lum

lum curiosum, uerũ etiam impium est illa uocare in dubiũ, quæ tanto consensu recepit ecclesia, id quod tu facis. Et addo multas alias quæstiones quæ huic adhærent, quas tu prudens retices. At in forma non definio, quid ualeat nostra uoluntas, quid misericordia, & quomodo intelligendum sit agere & pati, quo uidelicet prudens, ut scribis, faciam ignaros. Graue flagitium si hæc nõ explico in forma quam præscribo simplicibus, at explico satis opinor, in ipsa disputatiõe, & forte melius quàm tu ferre possis. Nam quod tu diatribam meam sic eleuas, sic deijcis, sic cõspuis, hoc ipsum arguit illam nõ tam aspernabilem esse q̃ tu uideri uis. Si nõ urgeret te, nõ tot cõuicijs in illius autorem debaccharetur tuus calamus. Rursum illa uide, q̃ non in loco tibi dicuntur, quod neutri parti adhærere statui, & inter Scyllã & Charybdim tuto euadere, ut medio mari fluctibus obrutus & confusus omnia asseram quæ nego, & negem quæ assero. An omnes defecerũt ad tuam Charybdim qui non stringunt calamum pro ecclesia? An defecit ab ecclesia, quisquis maluit aliud agere, q̃ tecum con-

gredi? A ueſtro fœdere me alienũ eſſe ſem
per profeſſus ſum, cũ eccleſia catholica pa
cem habeo, cui et cenſurã ſcriptorũ meorũ
detuli, ſi quid ineſt erroris humani, nam
maliciam aut impietatẽ procul ab illis ab
eſſe ſcio. In nullius gratiam unquã impu
gnaui cognitã ueritatem, nec ullius tyran
nidem meis ſcriptis foui. Mihi in pontifi
cum & epiſcoporũ uitam cenſoria uirgu
la data non eſt. Et ſi quid monitis proficĩ,
uideor mihi hic fuiſſe liberior, quàm huic
perſonæ congruebat. An ideo ſeiunctus
ſum ab eccleſia, quod mihi cũ duobus aut
tribus theologis, quos tu ſophiſtas uocas,
parum conuenit? Hæc quum tot epiſtolis
& priuatim ſcriptis, & per typographos e
uulgatis ante tot ãnos declararim, tibi ad
huc nauigo inter Scyllam & Charybdim,
(nam hoc tam lepido dicto uideris mire
delectatus, toties inculcas nobis) & neu
tri parti adhæreo. Si perſuaſiſſes nobis,
te eſſe uirum illum diuinitus orbi datum,
qui gladio uerbi Euangelici, renouares ec
cleſiam, qui ducereris ſpiritu dei, cui ſoli ni
hil eſſet obſcurum in ſacris literis, ultro iſt
huc adrepſiſſemus, etiam pedes tuos exo

ſculatu

sculaturi. Verum hoc, quantũuis arrogas tibi, mihi nondũ persuasisti. Permulta quidem obstiterũt, sed inter præcipua fuit ista tui calami amarulentia, & effrenis conuiciandi libido, ac plusquã scurrilis dicteriorum sannarumq; petulantia, qua uteris in omnes, qui audent aduersus tua dogmata hiscere. Hic enim non solum desiderare cogimur spiritũ illum Christi quem tibi sotter arrogas, uerũ etiã sentimus longe aliũ spiritũ, uidelicet Lucianicũ aut Aristophanicũ, nisi mauis Archilochiũ. Et tu negas animã hominis ferre duos sessores, quorũ alter alterũ uicissim depellat, at qui tua legit sentire uidetur ambos simul eidem animæ inequitãtes. Quũ em̃ nobis cõmendas fiduciã erga deũ, quũ exenuas uires hois, quũ diuinæ scripturæ maiestatẽ et autoritatẽ extollis, oiaq; hũana prę hac deiicis, multa sic dicis, ut uideri possint ab euangelico spiritu proficisci: rursus ubi tuis Vuilheylis & applausoribus incipis agere fabulã, tanta est petulantia, subsannandi, cõuiciandiq;, tanta uafricies, et adeo nullus in his modus, quũ in argumentando sis astrictus, ut nullus q̃uis æquissimus tibi, possit excusa-

re ſpũm tuũ. Iam quo grauius uulneres, uà fricie quadã addis maledicentiæ ſtrophas, & obliquas figuras, hoc eſt, gladio uenenũ illinis. Quemadmodum & hic facis, quũ nihil omiſeris quod in hominem deplora tiſſimũ dici poſſit, quum ſim tibi Lucianus atheos, quũ Epicuri de grege porcus, quum tam impius, ut nec impiſſimis Sophiſtis ſim tolerabilis, quum hoſtis totius Chriſtianiſmi, qui nolim apud populum diſputari, an de futuris contingentibus ſit certa ueritas: tamen adhuc aliquid premis in pectore, & concedis de tuo more, & uela contrahis, & ni Eraſmus eſſem tuo more ferreris in me, quaſi tibi poſtules & gratias agi pro tã clementi modeſtia. Hæc in te quum ſint euidẽtia, tamẽ poſtulas ut credam? te nihil facere ex libero arbitrio, ſed ex moderatiõe ſpiritus Chriſti, & indignaris quod non protinus deſerta doctrina, quã tot retro ſeculis amplexa eſt ac tenuit eccleſia Catholica, iurem? in tua uerba. Mihi nunquam fuit animus admiſceri ueſtræ cõſpirationi. Et tamẽ ſi me tæderet huius eccleſiæ, quæſo te per Euangelium, quò me uacillãtem ac perplexũ uocares?

ad iſtam

ad iſtam ueſtrã diſgregatam congregatio/
nem,& undique diſſectam ſectam? Carol
ſtadius in te debacchatus eſt,tu uiciſſim in
illum. Nec diſſidium fuit de lana caprina,
ſed de re grauiſſima. Zuinglius & Oeco/
lampadius multis uoluminibus oppugnãt
tuã ſentẽtiã. Et his cõſentiũt aliquot proce
res tuæ cõgregatiõis quorũ ẽ Capito. Rur
ſum Balthazarus quãta cõtentiõe pugna/
uit cum Zuinglio? Et haud ſcio an iſtic in
exigua ciuitatula, ſatis inter uos cõueniat.
Hic tui diſcipuli palàm docebant diſcipli/
nas humanas eſſe uenenum pietatis, non
eſſe diſcendas linguas, niſi Hebraicam &
Græcã ex aliquãtula parte, Latinã prorſus
negligendam. Extiterunt qui tollerent ba/
ptiſmũ,tum qui nouarẽ,nec defuerũt qui
hos opprimerẽt. Alicubi diuorum imagi
nes dira paſſæ ſũt, tu illis tuliſti ſuppetias,
Vbi prodiſſet libellus tuus de inſtauran/
dis ſtudijs,aiebant te deſtitutum tuo ſpiri/
tu,iam humano ſpiritu cœpiſſe ſcribere, q
pugnaret cum Euangelio,idq; dictitabant
te facere in gratiã Melanchthonis. Exor/
tum eſt iſthic propheticum genus, quicũ
tibi fuit acerrima conflictatio. Denique

quemadmodū quotidie inter uos exiſtūt noua dogmata, ita ſimul exoriūt noua diſſidia, & poſtulas ne qs à uobis diſſentiat, quū ipſi inter uos de rebus grauiſſimis ſic diſſentiatis? Finge igitur uerum eſſe quod toties ſine fronte repetis, me miſerū fluitare inter Scyllā & Charybdim, in qd littus, in quem portū me uocas? Si quādo dediſſem nomē ueſtro fœderi, & in ueterem eccleſiā reuolutus eſſem, uos poteratis defectionis & incōſtantiæ crimen impingere, alij uocarent reſipiſcentiā. Si ueſtram doctrinam cōprobaſſet orbis Chriſtianus, uel pertinax uel impius uideri poſſem, qui ſolus non accederem. Si uos inter uos conſentiretis in dogmatibus, faſtidiū obijcere poteras, q nollē auſcultare quod tāto conſenſu docerēt homines eruditi. Nunc quū eccleſiæ Catholicæ ſemp adhæſerim, àueſtro cōſortio ſemper abſtinuerim, quū ueſtra doctrina damnata ſit per eccleſiæ principes & orbis monarchas, ne quid dicam de cenſuris Academiarū, quū uos ſic inter uos digladiemini, & nemo interim ſibi nō uindicet ſpiritū Chriſti, ſacrarūq; literarū certiſſimā cognitionē, quomō tibi adhuc

inter

inter Scyllã & Charybdim nauigo,& indignaris quod homo ſenex & rei Theologicæ rudis malim ſequi conſentientẽ autoritatẽ eccleſiæ,cũ uos ſic diſſentiẽtes ab eccleſia, ut nihilo ſecius inter uos diſſentiatis? Hæc pluribus inculcare uiſum eſt,quod tenõ pudeat toties occinere nobis Scyllã & Charybdim, & animũ ancipitẽ in medio fluctuantem. Ego Luthere tantũ habeo fidei diuinis literis,& eccleſiæ decretis,ut etiam abſq; ueſtræ fidei præſidio ſperẽ mihi ſalutẽ à miſericordia domini. Quare noli poſthac tibi uindicare quod eſt dei, noli pronunciare de ſpiritu hominis,ſed tuum ipſius ſpiritum excute, ne forte alium habeas ſeſſorem quàm prædicas. Ego quum ex aliorum autoritate poſſem, de tuo ſpiritu non auſus ſum pronunciare, tantum dixi mihi ſuſpectum eſſe,& optaui ut mea me ſuſpicio falleret, quod idem & hodie opto. Hoc de te ſuſpicatus ſum iam inde ab initio, quum tu fabulam hanc magno orbis applauſu ſaltare inſtituiſſes. Hunc animum conſtanter præ me tuli, multo antequam in me ſtringeres calami tui cuſpidem: idq; factum gaudeo, ne ſi quid

nunc

nũc de tuo animo iudicarẽ, causari posses, non esse iudicij, sed doloris & odij. Promittis alicubi te effecturum ut me pudeat æditæ spongiæ. Ego contra non ausim pol liceri me effecturum, ut ullius rei te pudeat, ea est animi tui præsentia: attamen efficiam, ut omnes intelligãt, quantus sis artifex, detorquendi, deprauãdi, calumniandi, exaggerandi quidlibet, quanꝯ istuc iã pridem agnoscit mundus. Sunt qui libris æditis ingerant tibi tuam incõstantiam, & uafre dissimulas, mihi occinis, aiunt aio, negant nego, & hic assero quæ nego, nego quæ assero, quum tu tantus protei capiendi artifex, adhuc ne unum quidem locum proferre potueris, in quo mihi nõ cõstem, nisi forte aiãnt aio, & negant nego, putes in eos competere, qui aiunt quod affirmat Ecclesia, & negãt quod reijcit ecclesia, ut iam dictum hoc inuersum uideatur in te torquẽdum, aiunt nego, negant aio, adeo lubens dissentis ab omnibus quæ recepit ecclesia: nec assero quæ nego, negãs quæ assero, sed ea tibi uafricies est, ut recte dicta depraues quoties est cõmodum: ut quod album est uertas in nigrum, quod lucidum

ddum uertas in tenebras. Pertinet & hoc ad artem, quod ſubinde mones, ut metuã ſpiritum Chriſti, deum non irrideri. Ità ne periculum eſt ne offendam ſpiritum dei, ſi metuã diſſentire ab eccleſia Chriſti? Imò hoc eſt, quur non audeo me uobis credere, quod metuam offendere ſpiritum dei. Et poſtea nobis excuſas tuam iſtam admirabilem infantiam, quum ad maledicendum & calumniandũ ſuppeditet tibi tãta copia ſermonis amari, ut cuiquis ocioſum & patiẽtem delaſſare queas, rurſus tãtum ad ſit artis, ut nihil tam circũſpecte dici poſſit, quin tu uertas in atrocem tragœdiam.

Primum quod dixeram obiter in præfatione, ſatius eſſe ſi de difficultatibus quæ incidunt circa materiam liberi arbitrij nõ diſputetur ab idiotis, aut apud idiotas, id quod nunc fit libris in linguã uulgatã uerſis, adeo ut paſſim à militibus audiamus, Quid refert? nõ eſt liberum arbitriũ, deus omnia operatur in nobis & bona & mala. Sinamus illum operari, ſcit quid agat, & eius uoluntati nemo reſiſtit: ſic interpretaris, quaſi nolim quenquã uſquã loqui de libero arbitrio. Simili arte quum ego multas

quæſtiones

quæstiones recēseam, tu unā aut alterā ur/
ges, quū à sobrijs q̄stionibus pueniatur ad
curiosas, & postq̄ oīa detorsisti, tū præ/
sto sūt illa tragica, curiosum, uanū, superua
caneū, irreligiosum, quo lectori talē offun
dēs ob oculos puluerē, exocules. Prodeo
in mediū dirempturus uos, p̄fatus de his
rebus nō esse disputādū & rem eē supra ca
ptū hūani ingenij, & interim facio qđ im
probo. Primū nō dirimo uestrā litē, q me di/
sputatorē tm̄ p̄fiteor. Ea testificatio erga te
ciuilitas erat, erga catholicā ecclesiā depca
tio malitiosi erroris. deinde nō tecū luctaī
eccl'ia, imò aduersus tuū dogma qđ iā olim
prostratū est ab ecclesia, ea disputo, sed so/
brie, sed coactus. Si rem tā arduā mea spō/
te suscepissem, pceras impingere crimē te
meritatis, nūc quū detrectās & nihil nō ex
cusans susceperim, temeritas obijci nō pōt
sed obediētia laudari debet. Postremo nō
disputo quo te superē, sciebā em̄ me nihil p
fecturū, sed ut oīmbus testatissimū facerē,
me nō sentire tecū, & tuorū qbusdā fucum
detraherē, q prædicabant & plerisq̄ psuase
rant, me tecū sentire. Quā suspicionē, ut ca
pitalem ita falsissimā, tu quoq; fouere cona/
ris tametsi

ris, tametsi frustra: ni planè pro lapide habes Erasmũ. Rursus ipse mihi cõtradico, q̃ in eadẽ formula iubeã anniti totis uiribus, & asserã nostros conatus esse inefficaces sine dei misericordia. Sic arguis: Qui nisus & uiriũ meminit, sentit aliqd agere uolũtatem nostrã, qui fatet̃ inefficacem esse sine dei misericordia, docet eã nihil aliud q̃ pati. O inconstantiã. Quid ego audio? qcũq̃ pfessi sunt hois uires nõ sufficere ad parandam salutẽ absq̃ dei misericordia, fatentur uoluntatẽ nostrã nihil agere, sed tantũ pati? Atq̃ istud nemo neq̃ ueterũ neq̃ recentiũ Orthodoxorũ negat, q tamen docent nostrã uoluntatẽ aliquid agere simul cum agente gratia. An absurdũ uidet̃, eandẽ uolũtatẽ iuxta diuersam rationẽ simul & agere & pati? Quin istã incõstantiã impingis diuinis literis, ubi toties legis misericordiã dei cui debemus omnia, rursum toties illa, insta, uigila, labora: legis apud Paulũ, plus omnibus laborauí: & rursus, certa bonũ certamẽ: & cursum cõsũmaui. At apud eundẽ legis, gratia dei sum id quod sum: qn huic impingis incõstantiã, quã mihi impingis è duabus uocibus, nitendi, & miscd'iæ? Sed

non

non definio quomodo illud agere & pa/ ti sit intelligendum. Hoc scilicet explican/ dum erat in formula, quasi non satis fuerit in disputatiõe ubi oportebat id esse factũ. Postremo an Christianus sit impius futu/ rus, si tantũ didicerit, quicquid in nobis est boni, id totum diuinæ benignitati asscri/ bendũ, nisi pollice metiatur etiam, quantũ debeatur illius misericordiæ, quantum no strís uiribus? Sed hanc quæstionem pau/ lopost, magnifica pollicitus tractas. Illic igi tur audies quàm non respondeat tua pro/ batio pollicitis.

15 Hisce rebus tam feliciter gestis adornas tri umphum, & animi gratia expatiaris in lo/ cum rhetoricum ut cum rhetore parũ rhe/ toriceris, sic enim coqueris uere parum rhe torice. Ac mire urges me similitudinibus scribendi poëmatis, agricolãdi, belligeran/ di, & turris ædificandæ, ex rhetorica Quin tiliani, & poëtica Horatij, & hic si superis placet citãtur Virgilij georgica & Salustij sententia, quasi quicq̃ sit simile inter agri/ colam humana industria colentem agrũ, & deum operantem in nobis. Nam quod adducis ex Euangelio de turri, aut frustra/

huc

huc adducis, aut contra te facit. Quid supputabit ille, q nihil habet quod impendat?

Eadem felicitate post adducis similitudinem ex media arte rhetorices, de oratore & præceptis. Deū immortalē, non puduit tuū logodædalū huius modi nugas insulcire disputatiōi, in qua tu profiteris esse cardinē totius doctrinæ Christianæ? An q sic doceat simplicē Christianū, ne te torqueas quæstionibus quæ superant ingenij tui modulū, sed iuxta dei præcepta conniteere ut fugias quod uetitum est, & p̄stes quod præceptū est, at ita ut ne quid tuis fidas uiribus, neu quid ex benefactis tibi arroges, sed totum ascribas benignitati diuinæ, cui debes non solū quod recte facis, uerū etiā hoc ipsum quod naturæ uiribus potes aut es, docet socordiā, & dicit oraturo, ne labores, de præceptis, tantū scribito? Tam insulsis iocis mecū agis qui uindicas tibi cū Paulo scientiā, mihi uix sensum relinquens cōmunē. Paulo minus inepte cōtulisses tua similia, si Christianū comparasses agricolæ, colendi rationem dei præceptis, cœli fauorem gratiæ diuinæ. Huic opinor, nō absurde quis diceret: Tu gnauiter labora iu- 16

xta præcepta agricolationis, uerũ hoc sci/
to, te frustra facturum omnia, nisi cœlum
fauerit. Nam illud fructificat potius quàm
ager. Sed cœli fauor tibi in manu non
est, nec semper scis quomodo faueat.
Nam fauet aliquando, quum credas ini/
micum. Similia sunt quæ præscribo simpli/
ci Christiano. Itidem sentiendum de eo
qui dicturus sit de re Christiana. Exerce te
in literis sacris, meditare quid sis dicturus,
sed inuocato illius spiritu, sine cuius auxi/
lio sterilis est hominis sermo. Nec est tuũ
illi præscribere, quomodo sit moderatu/
rus organum linguæ tuæ. Scit ille qd expe/
diat. Hic tu dicturũ uoles lancibus expen/
dere, hoc ego præstabo, tantũ deus, sic ego
dicam, sed deus sic afficiet animos homi/
num. Opinor & martyrem iam apparatis
cruciatibus & mortibus, iubebis expende/
re quid ipse possit suis uiribus, & quid mi/
sericordia dei, simulq; cogitare, quomo/
do patiatur aut agat liberũ arbitrium, quo
modo operetur misericordia dei. Quan/
to Christianius monueris illum, ut suis ui
ribus diffisus, totum se tradat misericor/
diæ dei, ipse tantum ne se subducat gra/
tiæ, respi

tiæ, respiciens carnis præsidia. Sed valeant stultissimæ logodædali tui collationes. Qui docet dei misericordiam in nobis operari principium incrementum, & consummationem, sed simul cum illa conari nostram uoluntatem, pie docet, qui uocat in dubium an sola gratia operetur, uoluntas nihil aliud quàm patiatur, non pie disputat. Quot autem censes fuisse pios homines, qui nunquàm uestigarunt quomodo deus necessario præsciat, ea quæ pendent à libero arbitrio, & an ipse deus, quando uoluntatem habet immutabilem, necessitate faciat omnia, quemadmodum nos omnia necessitate quadam facimus, quod illius omnipotenti uoluntati nemo possit resistere, & quare traxerit Petrum, quum Iudam non traxerit, aliaq; huius generis innumera: neque enim tantũ loquor de hac quæstione, an gratia totũ peragat in nobis, & uoluntas nihil agat, sed de omnibus quæ scholæ philosophicæ huc inuehũt. Nec, quod mihi sæpe repetẽdũ est aduersus tuã importunitatẽ, loquor de sobrijs eruditorum inqsitionibus, sed de

rixosis contentionibus apud populũ.

15 Hæc quum sic habeant, expendito q̃ non in loco tibi dicuntur illa. Quí hoc non sentit, fateatur se nõ esse Christianum, qui uero reprehendit uel contemnit, sciat se esse summũ Christianorũ hostẽ. Nam si ignorauero, quid, quatenus, & quantũ ego possim & faciam erga deum, pariter incertum & ignotũ mihi erit, quid, quatenus, & quãtum deus in me potest & faciat, quũ deus operetur omnia in omnibus. Ignoratis uero operibus & potentia dei, deum ipsum ignoro. Ignorato deo deum colere & gratias agere, seruire deo nõ possum, dum nescio quantum mihi tribuere, quãtum deo debeo. Hic est tuus syllogismus scalaris, in quo quũ nobis egregie sophistã agas, tibi tamẽ mirus uideris theologus. Non est necesse ut Christianus ad trutinam expendat, quid ipse possit, quid deus, & quantũ ipse faciat, quãtũ deus, modo sciat, quicqd boni facit id diuinæ benignitati acceptum ferri oportere. Nec potentia scitur sed creditur, nec protinus deũ ignorat qui per imbecillitatẽ humani ingenij non assequitur, quomodo operet omnia in omnibus. Quẽ admodũ

admodū non assequimur ingenio quomodo condiderit mundū, & tamē conditum ab illo credimus. Et multi pij credūt Christū fuisse deum & hominē, qui tamē nesciunt, quomodo & quatenus qbusq; modis adglutinarit sibi natura diuina hūanā: nec respōdere possint, an eo tempore quo corpus exanime iacebat in sepulchro, Christ⁹ potuerit dici homo. Nec male gratias agit deo, qui sibi nihil tribuēs, summā boni operis, illius gratiæ fert acceptā, etiamsi non dimetiat pollice, quātū debeat sibi tribuere, quantū deo. Egit Augustinus gratias deo coluitq; deū, & tamen aliquādo ignorauit, illud tuū, quid, quātū & quatenus. Coluit, egitq; gratias diuus Bernardus, qui tamen hæret in his q̄stionibus. Egit Thomas opinor & Scotus, qui inter sese dissentiunt. Agunt & hodie plurimi gratias deo, q cōtenti patrū definitione, non expendunt ad trutinā, quid, quatenus & quātū. An Christianus non est, nec deum colit, nec illi seruire potest, aut agere gratias, qui quum toto pectore credat articulum de carnis resurrectione, tamen non disputat, nec assequitur illa tam multa, quæ theologi circa

hanc materiam disputant? An totum deū nescit, qui certa fiducia sperans uitam æter/ nam, non excutit innumeras difficulta/ tes, quæ de uidendo deum facie ad faciem sicuti est, tractantur à theologis? Ipsa uir/ go sacratissima non aliud quæsiuit ab an/ gelo, quàm quomodo sine uiri contactu esset paritura, simul atq; audiuit: Spiritus sanctus superueniet, & uirtus altissimi ob/ umbrabit tibi: nihil ultra scisitata, ancillā professa est cœlestis opificij: & fieri potest, ut uel ignorarit, uel non inquisierit multa, quæ theologi disputant, de rationibus, qui bus in corpusculo uirginis illud opificium spūs fuerit peractū. Intelligis quot exēpla queā hic cōgerere, in qbus ridiculus & im/ pius erit tuus scalaris. Quot sunt Christia/ norū milia q deū syncere diligūt coluntq;, quos tamē si interroges, qd sit gratia, utrū creatū quiddā, an increatū, & an sit eadem gratia q̄ nos attrahit deus, & qua nos illū redamamus, respōsuri sint. Deus nouit. An pnunciabis de talibus in uniuersum quod deū nesciant, ignari quid, quātū & q̄tenus in ipsis operetur? Nam huc perducent il/ los tui gradus. Et impius erit indignusq;

Christiani

Christiani nomine, qui contentus tene/re quod traditum est, uerum Christi cor/pus & sanguinem esse in Eucharistia, nisi quæsierit & assequatur, quomodo corpus solidum sit absque dimensionibus, quo/modo corpus hominis sit absque distin/ctione membrorũ, hoc est, ut non alibi sit pes, alibi caput, alibi pectus, sed ubique to/tum sit: item quomodo solidũ corpus pos/sit in cœlo sedere ad dextram patris, & idẽ tot locis in terra comedi ab hominibus. Equidem arbitror, nec tu, ni fallor, inficia/beris, milies centum milia regnatura cum Christo, quæ dũ uiuerẽt nũq̃ exquisierũt an in oĩbus tantũ patiatur uolũtas homi nis, an simul & agat aliqd, & si quid agat, quomodo unius operis possint esse plu/res causæ, & utra causa sit principalis, utra secundaria, deus an uoluntas hois: deinde quomodo utraq; possit esse principalis & secũdaria, si distinguas esse substãtiæ, & es/se meritoriũ. Nã hæc aliaq; multa uis apud ões excuti, ni fiat, negligi Christianismũ & articulos eccliæ. Hæc si à me dicta fuissent exclamasses impiũ sophistam, nũc qm̃ uisa sũt facere ad calumniã, uis erudite pariter

ac pie dicta uideri. Nec minus olet sophi/ stam alter ille scalaris, q̃ præcessit: Nescient enim quid faciant, dum ignorant quid & quantũ possint. Ignorãtes aũt quid faciãt, pœnitere si errent, nõ possunt. Impœniten tia aũt peccatũ irremissibile est. Istiusmodi gradibus nõ ascendit ad ueritatem, sed de scendit ad insaniam. An ille nescit qd pos/ sit, qui doctus est se nihil posse absq; gra/ tia dei, per illã nihil nõ posse. Sed finge esse simplicẽ Christianũ qui nesciat expendere ad lancẽ, quanta sit uis liberi arbitrij, quan ta uis agentis gratiæ, num ille peccans ad/ uersus p̃cepta dei, nescit qd faciat, nec pote rit unq̃ pœnitere? Hæc pluscq̃ sophistica obtrudis nobis simplicib⁹, dũ ostẽtas orbi tantã rei diuinæ scientiã, quantã haud scio an q̃sq̃ apl'oꝝ sit unq̃ p̃fessus. Certe post apostolos nemo sibi uindicauit, nihil esse in libris arcanis, qd ipsi nõ esset dilucidũ.

Rursus inculcas me idẽ asserere, quod tu asseris, qui in formula doceam totũ bonũ nostrũ deo ascribendũ esse, nã ex eo con/ sequi, dei misericordiã solã omnia agere, & uoluntatẽ nostrã nihil agere, sed potius pa ti, alioqui non totũ deo tribueretur. Non

tu desi

tu desines hisce tam confessæ tãq; pudendæ uanitatis asseuerationibus miserum lectorẽ obtũdere, quũ in diatriba mea, tam explanate tãq; dilucide docuerim, hũc sermonem nõ pugnare secum, ſi quis summã operis boni tribuat gratiæ diuinæ, & tamẽ asserat hominis uoluntatẽ, p ſua portiuncula aliquid agere. Porrò quũ iam dudum ſic ineptias, ut me quoque tui puduerit, tamen adiecto epiphonemate, tibi ipſi plaudas, idem & actor & applausor. Sed ſic (inquis) loqui cogit mens ſibi ipſi non conſtans, in rebus pietatis incerta & imperita. Quid ſupereſt, niſi ut tibi dei nomen uſurpes, poſteaq; tam asseueranter pronũcias de mente aliena? Toties inculcas inconſtantiã, quum nondũ potueris uel unũ locũ euincere in quo mihi non conſtem, & ſi id feciſſes, nihil aliud p̃baſſes, q; hoc uſu ueniſſe Eraſmo, quod accidit Auguſtino et Hieronymo. Nã nuſq; errare, nihil neſcire, nulli⁹ dicti pœnitere, tibi Stoico, & gnoſtico peculiare eſt. Sed age dic qui tibi conſtas, qui quũ mihi tribuas ſummã imperitiam ueri, tamẽ impingis peccatũ irremiſſibile. At nemo per imperitiam labẽs tenet

istò crimine, nã & Paulus blasphemus fuit aduersus euangeliũ, sed quoniam ignorãs fecit, misericordiã cõsequutus est. Ab hoc igitur crimine me mea liberat imperitia, sed tibi metuendũ est qui nihil nescis, ne in hoc crimen incurras, dũ fortiter rescindis ecclesiæ placita, nihilq; nõ asseris. Rursus qui conuenit, ut quũ nihil sciam, tamẽ tecum sentiens, in gratiam principũ diuersa defendam? Vis me uideri pessimũ, qui sciens uerũ impugnem metu principũ, at eundẽ uis uideri ueri ignorantissimũ. Sic tu uir constantissime ignẽ aquæ misces, & impotenti omnia calumniãdi libidine, dũ nũc huic, nũc illi cupiditati obsequeris, pugnantia loqueris. Quoties excusas animũ meũ, quoties eundẽ accusas? Nunc laudat animus bonus & pacis amans: mox cõtra conscientiã scribo in gratiã tyrannorũ, & Lucianũ Epicurũq; gero in pectore. Quã uero quadrãt ista cum spiritu Christi quẽ tibi reclamante mundo uindicas?

16 His feliciter absolutis, accedis ad alterũ exẽpli gratia propositũ, an deus aliqd præsciat cõtingenter, aliaq; quæ huic adhærẽt quæstioni. Et hæc Lutherus uult discuti à quoslibet

libet Christianis, & apud promiscuā mul-
titudinem tractari. Et rursus hic inculcas
uoces atroces, irreligiosum, curiosum &
uanum. At mea uerba sic habent, libens p-
suaserim mediocrib⁹ ingenijs, in huius ge-
neris quæstionibus non adeo pertinaciter
contendere. Doctis felicibus & exercitatis
ingenijs non dissuadeo sobriam ac religio
sam inquisitionem, nec ultra tamen quàm
sat est. Hæccine tibi uidentur usq; adeo nō
ferenda? At quoties Hilarius disputatu-
rus de mysterijs sacræ triadis, depreca-
tur crimen irreligiositatis, quod res supra
uires humanæ mentis audeat hūanis uer-
bis attrectare? Nec dissimilia præfatur Au
gustinus, in libros eiusdē tituli. Iā mihi cō-
fer, quas argutias ex philosophis in hāc q̄-
stionē cōuehunt, qbus placet Scoti subtili-
tas, & asseuera de ijsdē rebus sic esse dispu
tandū apud ꝑmiscuā multitudinē, quēad-
modū illi disputāt. Atq; hic rursus ex tua
rhetorica, cuius inscitiā ꝓtexis, quo magis
despicabilē reddas meā Diatribā, hyperbo
len & epitasin uenaris ex collatione sophi-
starū, de qbus quū pessime sentias, id quod
tui libri declarant, tamē eos propemodum
incipis

incipis prædicare in odium mei, adeo ut quæ tua uafricies est, credam futurum, ut quemadmodũ nõ iniusto quidem illo, sed immodice sæuo libello in rusticos utcũq; placasti principũ indignationẽ, ita debachando in me recolligas reconciliesq; tibi theologorũ animos, quos interim tamen non alio nomine dignaris, quàm sophistarum. Imò iam agnoscere mihi uideor tela quædam, quæ ex Lei, Latomi Stunicæq; libris deprompta in me torseris. Sophistæ inquis sanè melius hic dialecticant, quãdo rhetoricari nesciunt, qui liberũ arbitriũ aggressi definiunt omnes quæstiones eius: An sit, quid sit, quid faciat, quomodo habeat &c. Aequũ Luthere postulas, ut in libello quẽ aduersus animi sententiã suscepi, & in quo uix totos octo dies collocaui, qui quidẽ sumptus mihi uisus est immodicus, quenq; in hoc, ut dixi, potissimũ scripserã, ut ostenderem me nõ idẽ sentire quod tu: quicquid est quæstionũ apud sophistas, de prædestinatione, de uoluntate, de præscientia dei, de bono ope, de meritis humanis in unam disputationẽ cõuerrerem. Id si conatus fuissem, quomodo cõspuisses sophi-

sticantem

ſticantẽ Eraſmũ? Sed quid egiſſem illis ſophiſtarũ argutijs, etiãſi maxime callerẽ, qs tu pili nõ facis? Et tamen quod me ſcribis nihil aliud agere in Diatriba, q̃ an ſit liberum arbitrium, ſimilis uerecundiæ eſt, qua ut partim oſtendi, ſed poſt euidentius oſtẽ ſurus ſum, multa alia nõ ex re, ſed ex cauſæ tuæ cõmodo in me iacularis. Relege meã Diatribam, & perfricta fronte aude negare, quod illic definiam liberum arbitrium, quod diſtinctis gratiarũ generibus, digeſtis uarijs opinionibus, oſtendam cũ quibus opinionibus mihi potiſſimum cõgredi fuerit propoſitum: deinde quouſq; uelim hãc tractare materiã, poſtremo quod illic declarem, in qua animi parte potiſſimum ſit liberum arbitrium, & quid poſſit ante gratiam, & quid agat cum agente in nobis gratia, & quomodo ſe habeat erga deũ, & laudem boni operis, aliaq; permulta. I nũc & iacta me nihil aliud attuliſſe ad diſputationẽ, niſi tantũ hoc an ſit liberum arbitrium. Imò notari merebar potius, qui tranſiliens ſepta propoſitæ diſputationis excurro uſq; ad Adam nondũ lapſum, & ipſum deum attingens, nonnihil de neceſſa-

ria

faria illius & uoluntate & actione. Quan/quam hoc loco, aut ego fallor, aut tu tibi parum constas. Sic igitur dicis, urgebo igitur hoc libello te, & sophistas omnes, donec liberi arbitrij uires & opera mihi definiatis. At paulo ante dicebas, omnes de libero arbitrio quæstiones à sophistis fuisse definitas. Quid exigis ab illis quod fateris ab illis abunde factum? Quur me negas fecisse, quod ipsa Diatriba clami/tat me fecisse copiosius quàm tu præscri/bis? Et hic incandescit spiritus tuus, teque polliceris ada cturum me ad pœnitentiam æditæ Diatribes. Isthuc Luthere præstan/dum erat, non toties iactandum, ne fiat quod aiunt Græci, πρὸ τῆς νίκης ἐγκώμιον. Nam hac tota priore libri tui parte quæ/so, quid aliud quàm triumphas, insultas uicto, ostentas trophæa, canis pæana, quũ nondum ad aciem nostram peruenieris. Moxq; posthanc egregiam pollicitatio/nem, uelut aggressurus rem, doces nos dei præscientiam deique uoluntatem non minus incommutabilem esse, quàm sit ipse deus, nec illo imprudente aut no/

lente

lente quicquàm omnino rerum accidere, neque enim præscientiam illius falli posse, nec uoluntatem impediri, quemadmodum fit in nobis, nec opere perfecto desinere illius uoluntatem, quemadmodum homini posteaquàm extructa est domus, uoluntas struendi desijt, quum opus maneat. Sunt ista retrusa mysteria quæ nos doces? Quis ista qui uel sex paginas legerit in theologia nescit, aut quis tam insanus qui neget? Sed interim non distinguis uoluntatem signi & uoluntatem efficacem, quarum hæc prorsus immutabilis est, altera quodammodo mutabilis, quum sæpe non fiat quod ille iubet fieri, & fiat, quod ille uetuit. Nec distinguis uelle dei, collatum ad res externas, ad uoluntatem dei naturalem, siue collatum ad actiones internas. Item dei uoluntatem absolutam & conditionalem. Denique non distinguis uoluntatem à uelle. Deus qui uoluit condere mundum an nondum desijt uelle condere mundum? Voluit filium suum assumere corpus hominis, an nondum desijt uelle? Quàm uero scite nobis definis quid sit

contingens

contingens,quod,inquis,nobis contingẽ/ ter & uelut casu imprudẽtibusq; nobis fit. Hic primũ disco rem abstrusam, cõtingẽs esse quod cõtingenter fit, quasi dicas arti/ ficiosum opus,quod arte fit. Deinde quid est ueluti casu? Est aliquid quod non fit ca sus,sed ueluti casus? deinde addis,impru/ dentibus nobis. Atqui hæc uox lõge aliud declarat Aristoteli,qui distinguit contin/ gens,fortunam & casum: Contingens em opponit necessario,fortunã tribuit rebus animatis,casum inanimatis. Cõtingenter igit facimus,nõ tantũ quod casu,& impru dentes facimus,uerũ illud quoq; quod sci/ entes ac uolentes facimus,sed quod in no stro arbitrio erat non facere. Quemad/ modum hæc scribo, nec imprudens, nec necessario,sed uoluntatis arbitrio,quæ po tuerit non scribere, si sic uisum fuisset. Quid igitur hic nos doces, nisi quod af/ fectas sophisticam argutiam,sed parum fe liciter.

19 Sophistæ in hoc quoq; torquentur, an deus quũ præsciat res natura cõtingentes, hoc est quæ pendẽt ab hois arbitrio,ueluti quũ sedet,cui in promptu est stare si uelit;

quærunt

quærũt an deus aliquo modo præſciat cõ/
tingenter, non quod illius præſcientia fal/
li poſſit, ſed quod obiectum præſcientiæ ſit
contingens. Demiror autem quare locum
è media Diatriba decerptũ hic putaris nõ
ſuo loco tractandum, de neceſſitate conſe
quentis & cõſequentiæ, quod tũ profeſſus
te uelle craſſius explicare, ſic inuoluis per/
plexo ſermone, ut uideare non ſolum non
intellexiſſe, quod ego ſcripſi, uerũ nec tuã
ipſius orationem intelligere. Sed quoni/
am urget temporis breuitas, nec hoc pau/
cis uerbis poſſet abſolui, præſtat ſuo loco
diligentius tractandum reſeruari.

Ad reliqua properandũ, ut undequaq; 20
probes te doctiſſimum, quemadmodum
ante ex Horatio & Quintiliano docuiſti
me, tractandum eſſe an ſit, quid ſit, quale
ſit &c. Ita nunc ex poëtis doces me, res o/
mnes mera neceſſitate geri, quam illi fatũ
uocant. Id tantam habet uim, ut ipſos etiã
immortales deos atque adeo ſummum Io
uem inuoluat ineuitabili neceſſitate. Atq;
nũc demum poëtæ ſapientes uiri ſint ipſis
etiam philoſophis perſpicaciores. Tantũ
laudis merentur qui tecũ ſentiunt, hic Ver

gilius certissimus autor ueri subinde inge-
ritur, qui docuerit conatus hominum, fa-
to Parcisq; uolentibus, frequenter aliò ca-
dere quàm expectarant. Atqui nos hic de
euentis non disputamus, sed an nostra uo
luntas aliquid agat in his, quæ sunt salutis
æternæ. Credo tibi hoc Caput de indu-
stria admixtum fuisse, quo stomachum le-
ctoris iam dudum ad reliqua tam insipida
nauseantem, aliqua uoluptate recreares.
Verum quid hæc ad rumbum? Institueras
probare pium & sanctũ esse, de huiusmo-
di quæstionibus quæ non habent exitũ, &
apud quoslibet, & à quibuslibet, in utram-
que partẽ disputare, & iam omisso quod
cœperas, asseris omnia mera necessitate ge-
ri. Id si constat, si ueríssimum est, quorsum
attinet torqueri disputationibus? Sin ue-
rum & indubitatum est, quod decreuit ec-
clesia, non tutum est imperitam multitudi
nem audire rationes, asseuerationes, ac de
ierationes diuersæ partis. Atqui hoc erat,
quod ego suadebam, ut simplices senten-
tia catholica contenti, credant teneántque
quod acceperunt, hoc est quod tu impu-

gnas

gnandum ſuſcepiſti. Hoc argumentum quod inter eruditos ſobrie tractari poterat, tu cogis propalam in promiſcuo mortalium Theatro, uelut anceps, uocare in diſquiſitionem. Solent concionatores in Italia ferè ſingulis annis renouare quæſtionem de reſurrectione mortuorum, de qua ſobriam in ſcholis diſputationem nemo damnat, ſed ea res tantum attulit fructum ad pietatem, ut Romanus Pontifex uetuerit illa uentilari apud plebem. Sed delibabo reliqua.

Doces nos admodum religioſe, dei uoluntatem eſſe omnipotentem, dei præſcientiam eſſe certiſſimam, qua de re qui dubitet, eum prorſus ignorare deum, nec certò poſſe fidere promiſſis illius, qui falli poſſit ac mentiri. Fateor iſta pie dici, neque raro mihi dicta ſunt in meis lucubrationibus. Sed quid hæc ad me, qui moneo ne talia diſputentur, præſertim apud ſimpliciores? Quod ſi tu certum et indubitatum eſſe credis, deum neceſſario ſcire omnia, nihil autem cõtingenter, ſiquidem auſcultemus tuis rationibus, oportebit omnino diſputare, ne putemus deũ eſſe inſciũ aut

mendacem. Quemadmodũ enim de libe/ro arbitrio disputandum putas, quod impi us sit qui nesciat nostram uoluntatem tan tum pati, gratiã solam agere, eadem ratio suadebit ut hoc quoq; uocetur in disputa/tionem. Et tamen theologi qui disputant, an deus aliquid præsciat cõtingenter, con/stanter asseuerãt quæ tu asseueras, dei præ scientiam falli nõ posse, deum nõ esse men dacem, dei promissis certissime fidendũ, nec putant ob rem quæ contingenter fit, periclitari certitudine præscientiæ diuinæ, quod eleganter explicuit Laurentius Val la. Sed illi paulo rectius definiunt contin/gens, quàm tu.

22 Hic perinde quasi dixeris aliquid proxi mo capite torques fulmen tuæ maledicen tiæ in me, qui doceam ignorantiam dei, cõtemnendam fidem, ut promissa dei de/seramus, aliáque multa, quæ uix Epicurus præscriberet, nec his cõtentus, damno, cõ/culco Christianos & Christianismum uni uersum. Quid ni? qui suadeam mediocri/bus ingenijs, ne de talibus argumentis cõ/tentiose disputent, sed teneant id quod tra didit ecclesia. Et hinc concludis homo dia lecticus

lecticus, meum libellum adeo esse impiũ, blasphemum, ac sacrilegum, ut nusquã habeat similem. An te horum pudeat nescio, certe puderet, si quid haberes frontis.

Sed proximo capite mitigas atrocissima dicta: Talia inquit, portenta coguntẽ esse futire, qui malam causam susceperũt agendam, quicq; inuita cõscientia, alienæ scenæ seruiunt. Quam tu malã causam appellas, ego cum Ecclesia, puto optimam, eam licet animo detrectante susceperim, syncerissima tamen conscientia egi, siue feliciter id feci, siue infeliciter, nec ullorum principũ uel fauor, uel terror tantum apud me potuit aut poterit unquã, ne tua quidem sæuitia, ut in his quæ sunt pietatis sciens oppugnem quod uerum est, aut defendam, quod sciã esse falsum. Proinde quo tu sæpius inculcas me præter conscientiam, fauoribus aut terroribus seruire, toties declaras te, aut misere falli, aut malicioſissime fingere. Iam quod admones quantum sit periculi docere pietatem, mihiq; precaris dei misericordiam, adeo non offendor, ut ne uidear ingratus, officium referam, te totidem uerbis admonens, tibiq; dei miseri- 25

 cordiam

cordiam precans. Cæterum quod fateris à me moueri quæstiones aliquot uere sophisticas ac superuacaneas, & tamen illos esse tolerabiliores, qui conspurcarunt aurum, me qui simul aurū abiicio cum stercore, Vide quantum abs te dissentiam. Arbitror enim tolerabilius peccare qui disputant de friuolis quæstionibus, & qui disputationibus suis ea reuocant in cōtentionē, de quibus iam olim ex Ecclesiæ decreto dirempta est altercatio, damnato eo quod falsum erat, & approbato quod erat uerū.

24 Eximis teipsum è numero causaq; sophistarum, sed frustra, quum omnes qui tecum decertant, clamitent sibi rem esse cū sophista uaferrimo, neque tu sophisticam Theologiam sustulisti, sed mutasti. Contra me, inquis, tibi dicendum erat, nisi maluisses chartas & tempus perdere: quasi cū uno te illic congrediar, congredior cum ijs qui tecum, sed non eodem modo, tollunt liberum arbitrium. Et si in te proprie scripsissem, non erat fas quicquam admiscere, quod ad te non pertineret? Sunt illic quædam quæ pertinent ad Carolstadium, quædam quæ ad Melanchthonem,

quædam

quædam quæ ad Scotum. Et quodam in loco moneo lectorem, ne putet in te dicta, quem non noui, sed in alios potius mihi notos. In hoc libro, quē proprie ac nominatim in me scribis, quàm multa sunt, quæ nihil ad me pertinēt, id quod iam ex parte demonstratum est, ac posthac plenius demonstrabitur. Vnde hoc habes, quod in te proprie scripserim Diatribam? Non hoc promittit titulus, et aliud clamat ipsum opus, sed hoc tibi persuaseras, aut fingebas potius, quo iustius uidereris in me debacchari. Hinc est quod in disputatione semel atque iterum mecum expostulas, quod falso nomine te traducam, quasi locum hunc: Extende manum tuam, sic fueris interpretatus, id est, gratia extendet. & cætera. Atqui hæc Carolstadius respondit Eccio, cuius uerba sunt in prima responsione: Gratia enim agit manum, & extendit. Rursus in tertia responsione: Satis enim dixi, quod gratia extendit manum consilij nostri ad bonum. Rursus in eadem: Charitas omnia credit, omia sperat. &c. sic interpretatur: gratia facit nos patientes, credulos, & operatores.

I nunc & querere te falsō traduci. Idem mi hi satis ꝓcaciter impingit Franciscus Lam bertus, & impostorem appellat, in cōmen tariis quos scripsit in Oseæ, quasi talia men dacia confingamus in fratres.

24 Scripseram quædam esse uera, quæ ta/men aut non essent inculcanda popularibus auribus, aut non quibuslibet uerbis essent efferenda. Veluti quū quidam sophistæ sic nugantur: deus est ubique, hoc concesso, inferūt, ergo est ibi, & nominant locum, quem ego præ uerecundia nō ausus sum nominare, & pono antrum scarabei, tu suspicaris de cloaca, quanquam hoc nihil ad rem. Hic mecū sentis, & fateris esse rectum quod moneo, de rebus diuinis, religiose sobrieq; loquendū, nec satis esse uera dicere, nisi dicas & circūspecte, castisq; uerbis. Et tamē hic quoq; doceo Epicurū, lapsus in sacræ scripturæ deiq; contemptū & iniuriam, blasphemiam, ac sacrilegium. Nam huiusmodi blanditiis scatet undique tua charitas. Sed ad tuum dilemma. Si de his, inquis, quæ cōtinentur in sacris literis loqueris, ea omnia quoniā aperta sunt & salutaria, nusquam non debent inuulgari, sin

sin de alijs, nihil ad nos. Non hic repetã, q̃ Iudæi quosdam libros sacros, in quibus est Genesis, non permittebant legi, nisi si quis trigesimum annum excessisset, sed agetur hoc aliâs. Nunc ad illud, nihil ad nos, audi. Si medicus dissuadẽs ægroto, ne uescatur calidis in febri, distinguat genera febrium, indicans quid in unaquaq; fugiendũ, aut sequendũ sit, num ægrotus dicet, quid ista ad me? Dic de mea febri. Nónne respondebit medicus: hæc ad te pertinent, ne putes tibi tutum esse uesci quibuslibet, quouis tempore, quemadmodũ tu Luthere doces, quicquid quæstionũ è sacris literis nascitur, apud quosuis esse tractandũ. Hoc ne fiat, distinguo genera quæstionũ. Primum de ijs quæ deus uoluit nobis esse ignota, ueluti de die supremo, nõ est pium disputare. Deinde sunt quæ uoluit nobis esse notissima, ea iubeo etiam edisci. Nonnulla sunt, quæ fas est aliquousq; scrutari, sed nõ ultra quàm sat est, quod superat intellectum humanum, seruetur illi tempori quum uidebimus deum reuelata facie sicuti est, nunc per speculum & in ænigmate. In hac classe pono quæstiones de Libero

arbitrio, & quæ huic adhærent, item de di
stinctione personarum, de discretione na
tiuitatis & processionis. Postremo loco re
censeo quædam esse, quæ tametsi uera sint
tamen non sine periculo pietatis & cõcor
diæ dicantur apud quosuis, sed prudenter
dispensanda sunt. Et in his pono multa,
quæ tu nũc lingua Germanica prodis idio
tis, ueluti de libertate euangelica, quæ suo
loco, sobrieque prædicata, fructu non ca-
rent: sic prædicata, quid fructus attulerint,
uides. Eadem in classe ponerem tuum do
gma de necessitate rerum omnium, etiam
si uerissimum esset, nunc quum sit falsum,
& impium, longe grauiore periculo uul-
go iactatur. Inũc & dic hæc nihil ad te per
tinere. Sed hac de re aliâs. Nunc hoc obi-
ter indicasse sufficit. Nõ igitur hominum
culpam in rem confero, nec ex conciona-
torum uitijs scripturam damno: sed eos re
prehendo, qui scripturam secus tractant,
quàm oportet, inter quos te quoq; nume-
ro. Verum hic rursus opponis bicorne di-
lemma: Si recte disputatur de libero arbi-
trio, quur damnas, sin minus, quur pro-
fers tuam Diatribam? Respondeo quod

antea

antea respondi, ut hisce de rebus disputare mus, tu nos coegisti, qui quæstionẽ hanc à scholis in compotationes protraxisti, & aliter disputo, quàm tu, nec disputo dubitans, sed aduersus tuum dogma partem eam defendo, de qua dubitare pium non est, tenere tuericq; sanctum ac religiosum. Iam quum fatearis referre, quibus uerbis scripturæ ueritas tractetur apud populũ, ut interim largiar, uerũ esse quod doces, tu ipse iudica, quid fructus adferãt ad pietatem, qui sic clamant apud rudem plebeculam: Nullum est liberum arbitrium, uoluntas nostra nihil agit, sed deus operatur in nobis & bona & mala. Noui quosdam qui ex Thoma cæteroq; atque adeo ex Iuuenale depingebant apud promiscuam multitudinem omnia libidinum genera. Hi non reprehenduntur, quod falsa doceant, sed uera sine fructu, quoniam in tempestiue. Hoc certe ad tuos pertinet, neque enim de te proprie scripsi. Ad eosdem pertinet, quod adijcio de tribus dijs, hoc ἀξίωμα, quum Petrus Aliacensis, assentientibus Theologis, putet in aliquo sensu uerum esse, tamen apud populum magno

magno cum offendiculo dicetur, inter eru/ditos nihil habet offensæ, quibus cognitũ est dei uocabulum, non semper sonare di/uinam essentiam, sed accipi nõnunquam pro persona, ut quũ dicimus: Deus gignit deum, & Iesum esse filium dei. Nihil enim aliud intelligunt docti, quàm esse tres per sonas, in quarum unamquanq; competat dei uocabulum. Neq; prorsus negat Alia/censis posse dici tres omnipotẽtes, ac tres æternos, & si negaret, consequit̃ tamen ex his quæ cõcessit, posse dici tres deos, licet non simpliciter. Quemadmodũ enim iu/xta dialecticam non est absurdum dicere, tres sapientes, una sapientia, tres bonos ea dem bonitate, tres omnipotentes eadem omnipotẽtia, tres esse sed eadem essentia, tres uolentes eadem uoluntate, ita non ar bitror impium dicere, tres deos eadem dei tate. Non enim minus ad substantiam dei pertinet deum esse, quàm sapientem esse. Verum ut hæc non asserit Aliacensis, ita nec ego asseró. In hoc tantum adduxi, ut docerem fieri posse, ut quædam sint uera, iuxta sensum aliquem, quæ tamẽ apud im peritos efferri non expediat. Iam qui te/

nent

nent literas Hebraicas docent nos in Genesi: Deus fecit cœlum & terram, apud Hebræos esse uocem pluralis numeri, putantes hoc modo declarari, in tribus personis eandem naturam & operationē. Hæc extra causam iniicere uolui, quod tu pronuncias simpliciter esse falsum ἀξίωμα, & prorsus alienum à sacris literis.

Nunc ad articulum de cōfessione & satisfactione, quam ego duntaxat exempli gratia produxi, nec asserens, nec refellens, quæ de hac disputantur, uidelicet quū aliud agam. Et ne usquam non sis maledicus in Erasmum, qui tuum dogma ciuilius tractauit, te nullo modo lædit, impingis, qd metuens tyrannidem Pontificis nō ausim damnare cōfessionem. Non adeo metuo Pontificem, ut si mihi constaret esse damnandam confessionem non ausim inter eruditos proferre meam sententiam, & amicis hoc in aurem instillare, deniq; dare operam, ut citra grauem tumultum, autoritate principum tollatur. Nunc ipse seruo, nec aliud doceo quàm facio, nō tantum ob id, quia præcepit Romanus pontifex, sed multo magis quod recepit populus 29

lus Christianus. Vt enim non omnes constitutiones approbo, ita procul absum ab illorum sententia, qui putant om̃es humanas constitutiones aut consuetudines esse reijciendas, successuris alijs, fortasse durioribus his, de quibus uulgus nũc queritur. Quanq̃ uideo & inter ipsos qui confessionem asserunt, cordatiores, nõ audere pronunciare an sit instituta à Christo, an sumpta ex diuinis literis, an ex generali Ecclesiæ constitutione profecta. An hoc est per summas aristas ingredi, non pronunciare de his, de quibus nondum clara uoce pronunciauit ecclesia? Nec hic accuso uel te, uel tuos, sed meum ipsius animũ qualis sit ꝓfiteor. Quare uide Luthere, nisi te prorsus exoculauit odium Erasmi, q̃ sine causa tibi dicta sint illa tam uirulenta. Itaq; in quis, sepositis interim deo & conscientia, quid enim ad Erasmum, quid ille in his rebus uelit, & quid huic expediat, in laruam externam ruis, & uulgus accusas, &c. Huiusmodi cõuicia si funderes aliquando in re atroci, iam euicta, posset appellari uehementia, nunc quum tu nusquã non crepes eiusmodi, nec ullũ facias finẽ, quũ nihil sit

dignũ

dignũ ullo cõuicio, nec probaris qđ assu/
mis, nemo Luthere nõ perspicit istã tã im
potentẽ maledicẽtiã tuã animi tui morbũ
esse, quẽ ego malo cõtemnere, q̃ imitari.
Post hæc aggrederis meã sententiã, sanè
perq̃ festiuiter ridens, et irridẽs meã simili
tudinẽ, quo schemate uideri uolo abũdare
copiosus quidẽ orator, sed nihil intelligẽs
eorũ quæ loquor. His cõuicijs sic assueui,
ut propemodũ etiã delecter, nisi quod ue
rear ne animus iste tuus tam ferox, mũdũ
maximis inuoluat malis. Nam Erasmi le/
uissima sit iactura, modo regnet Euange/
liũ. Sentẽtia hæc erat: ut sunt morbi quidã
qui minore malo tolerantur q̃ tolluntur,
ita quædã irrepserũt in populũ christianũ,
quæ satius est ferre, quàm dũ conaris sub/
mouere, malum exasperes. Hic exemplis
tecum nõ agam, quoniam nec tutum est,
nec admodũ ad causam pertinet. Tantũ il
lud ex te scire cupio. Finge in principibus
multũ fuisse tyrannidis erga rusticos, qđ
mihi nõ constat, utrum cõducibilius erat
rusticis, ferre dominos iniquiores, an hos
experiri tumultus? in quibus tot milia pe/
rierunt, et adeo calamitas depulsa non est,
ut iugũ

ut iugum cõduplicatum sit, asperiusq; red ditum. Hæc uerba mea non tam accusant tuos, quàm me excusant, cui frequẽter im/pingitur, quod non acriter stringam cala/mum in uitia Pontificum & Episcoporũ. Et tamen hæc ad te quoq; pertinent, quan doquidem ad te rapis. Sit enim ista causa tanti momenti, quanti uis esse, tamen im/portuna tua maledicentia nulli omnino mortalium parcens, facit ut non solum ni hil proficias, uerum etiam conduplices & exacerbes tyrannidem, quam extinctum tendis, & eos puehas, quos cupis oppres/sos. Est aliqua ratio tollendi malum, quod inueteratum longe lateq; radices egit. Ex/aggera hic causam tuam quantum libet, quo melior est, hoc tu magis accusandus, qui tam malum agas medicum. Neq; cui/quam pugna est cum uerbo dei, quod to/ties intonas, sed cum tuis interpretationi/bus. Iam & illud uide, num istis rationibus apostoli doctrinam Euangelicam inuexe/rint in mundũ, quibus tu restituis, sicut ais Nuncubi calumniantur immerẽtes, num scurrilibus dictis debacchantur in quemli/bet? Num quẽ suspendunt naso, num stro

phis

phis calumnijs ac minis agunt Euangelij negocium? Num utūtur tanta linguæ petulantia? Poterā hic alia multa cōmemorare, quæ premo, tua prudētia fortasse diuinat quid sentiam. Si tu scis hos tumultus diuinit⁹ ortos, ego nescio, nec futur⁹ sum illorū uel autor uel adiutor, non desino tamē orare Christum, ut undecūq; ortos, & quomōcunq; pgressos, omnipotēs artifex uertat in gloriam suā, & in ecclesiæ salutē.

Vehemēter offendit te hæc mea sententia, licet uerū dicere, sed non expedit apud quoslibet, nec quouis tempore nec quouis modo. Et inepte cito Paulum: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, quod Paulus illic non agat de prædicanda ueritate, quam uult apud quoslibet, quouis tempore, quouis loco, quouis modo prædicari: sed de uitando scandalo infirmorum. Esto, ut dicis, sed hæc sententia latius patet suapte natura. Siquidem charitas quæ Paulo suadebat ut abstineret ab alioq licitis, eadem suadebat, ut doctrinam Euangelicam ad utilitatem hominum dispensaret. Iam illud mihi uide quanto minus ad rem faciāt quæ tu refers: prædica uerbum, 36

insta, opportune, iportune. Et, modo uerbum dei annuncietur: Rursus uerbum dei non est alligatum, &: Ite prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Nã in his uerbis opportune importune tropus est, q nõ indicat uerbũ esse p̃dicãdum ubi nõ oportet, sed instantiã Euangelij prædicãdi cõmendat: quãq̃ adijcere debueras qd' illic additur, argue, obsecra cũ omni lenitate & doctrina, lenitatem em̃ in te requirũt etiã tui. Cæterũ scribẽs Philippen̄. nõ laudat eos q insyncere p̃dicabãt Euãgeliũ, sed gaudebat illorũ isyncerã operã, tñ cedere in Euãgelij ꝓfectũ. Ad hæc Paulus alligat⁹, tamẽ gaudet uerbũ dei nõ esse alligatũ, sed indies latius spargi. Obsecro te, an Paulus docuit eadẽ apud omnes quæ tu doces? An quũ admoneo doctrinã esse temperandã ad utilitatẽ auditorũ, alligo uerbũ dei? Nã hoc impigis, & interim assumis, quicquid doces esse uerbũ dei: ut nihil iã supsit, nisi ut fias Christ⁹, denuo prædicãs Euãgeliũ. Atqui quemadmodũ nobis nõ cõstat quo spũ ducaris, ita nobis nondũ psuasum est quicquid doces esse uerbũ dei. Quid alij sapiãt nescio, ego certe profiteor me esse de

eorum

eorũ numero, q̃ mallent mori decies, & se/ mel ipedire cursum uerbi diuini. Neq; nos de eo loquebamur, sed de q̃stionibus quæ nũc orbẽ concutiunt. Et tamẽ apostoli pri mum iussi sunt prædicare regnũ dei, celan/ tes Iesum esse Christũ. Et Petrus initio p̃di cationis Iesum uirum appellat, tacẽs de di uina natura. Nec aliud Paulus facit apud Athenien̄. Idẽ habet lac quo fouet ibecil/ les, habet solidũ cibũ quo uegetat fortes, & habet sapientiã, quã nõ apud quoslibet, nec in propatulo, sed apud pfectos in oc/ culto, pfert, quẽ locũ tu nõ recte citas, sapi entiã in mysterio absconditã, quũ sit apud Græcos, loquit̃ in occulto sapiẽtiã quæ est recondita. Quin & ipsi apostoli iussu do/ mini excutiunt puluerẽ pedum in eos qui reiiciunt sermonẽ Euangelicũ, & in Actis imponunt gentibus, ut abstineant ab Ido lothytis, suffocato, sanguine & scortatiõe, nec statim docent legẽ prsus abrogãdam. Postremo sunt rudimẽta philosophiæ chri stianæ, quæ tradunt̃ catechumenis, donec proficiant ad magis recondita. Hebr. 6. Quapropter intermittentes inchoationis christi sermonẽ, ad pfectiora feramur, &c.

Ecclesia uero ne hæc quidem solet temere committere postulantibus initiari, nisi fi deiussores spopōdissent abesse dolum malum,& mysteria uocātur, id est, sacramenta. Num ideo uocantur mysteria, id est, arcana, quod apud quoslibet essent euulganda? An tu putas Christianos olim arcanū eucharistiæ, uulgo ꝓdidisse Iudæis ac gentibus irrisuris? Quin ipse dominus, aliter respondet Pharisæis malicioſe tentātibus, aliter Sadducæis per imperitiā, stultā proponentibus quæstionē, cuius etiā illa uox est: Nolite sanctū dare canibus,& ne proiiciatis margaritas uestras ante porcos. Idē præcipit Apostolis, ut ingressi uicum aut oppidum explorent si qui digni sint, mox ijs annunciēt Euāgeliū, sin minus excusso puluere alio se cōferant. Rursus dns qui dixit ꝑ ecclesiastē: Est tēpus loquendi,& est tēpus tacēdi: ad Herodis pcontatiōes prorsus obticuit, Pilato pauca respōdet, in mōte copioſe docet discipulos arcana Euangelicæ philosophiæ. Nec eodē modo Paulus agit cum Athenienſibus, quo cum Hebræis, illis ordītur Euangelium à quibusdā apud ipsos notis ac receptis, Hebræos incredulos

credulos legis Mosaicæ p̃ fidijs oppugnat. Apud Festum & Agrippā quanta ciuilitate temperat sermonem suū, hoc est, q̃ tui dissimilis est. Idem aliquando mutat uocē suam, inseruiens auditorū utilitati. Carolstadij sententiā de synaxi recte impugnas, sed fingamus eam esse ueram, nónne dicerés non in tempore proditam, primū hoc rerū statu quum plus satis exulcerata sunt omnia, deinde quia nō tradidit doctis uētilandā, sed germanica lingua uulgo prostituit, magno Christianæ concordiæ detrimento. Ipse in spectris tuis doces, quid sit inculcandum morientibus, reprehendens eos qui grauant illos intempestiuis sermonibus, & nūc dicis nihil referre, quid apud quos, quo tempore, quo modo dicatur. At reclamat tibi Sapiens Hebræus, musicam in luctu, narrationem esse intempestiuam. Paulus, inquis, coram toto mundo dixit: Deus quos uult indurat &c̄. At Paulus nusquam scribit, quod tu mundo ingeris, liberum arbitriū nihil esse nisi nomē inane, neq; nostros conatus quicq̃ ad rem facere, sed mera necessitate fieri omia. Deū in nobis opari & bona & mala. Hæc

ſunt quæ nolebã euulgari. Hæc ſatis argu/unt ne ipſum quidẽ Euangeliũ apud quoſ/uis, quouis tpe, quouis loco, quomodo li/bet eſſe prædicandũ, ſed ex audientiũ utili tate diſpenſandum. Quãto minus id fieri cõuenit in quæſtionibus quæ trahuntur è ſacris libris, quædã etiã ex humana philo/ſophia, ueluti quũ diſputamus de euchari/ſtia, quõ corpus poſſit eſſe ſine dimẽſioni/bus, & quomõ idẽ corpus ſit in diuerſis lo cis? Quod ſi cõtendis nihil omnino refer/re, quomodo prædicet Euangelium: quin ipſe ſimili ſæuitia debaccharis in Cæsarẽ, qua in põtificem & epos, Cæſar enim ma/gis obſtat Euãgelio tuo, q̃ põtifex. Hic ni/mirũ cogeris adferre Paulinũ illud: Omnia mihi licent, ſed nõ omnia expediũt, & abs te dicetur apte quod à me inepte fuerat ci tatũ. Hæc quũ ſint per ſe dilucida, nimirũ euidens eſt, quantũ tu uerborũ incaſſum fuderis, & q̃ nihil ad rem citaris ſacræ ſcri/pturæ teſtimonia: & q̃ parum tempeſtiue fumos illos tuos protuleris. Paulus dicit: uerbum dei non eſt alligatum, & Eraſmus alligabit? Et dominus dicit: Ite in uniuer/ſum mundum, Eraſmus dicit: Ite aliquò,

aliquo

aliquò non. Rursum: prædicate Euangelium omni creaturæ, Erasmus dicit: apud aliquos, apud aliquos non. Denique quasi hæc tam insulsa non fuerint satis, addis nouam facetiam, Græcas aliquot uoces occinens, prosopolepsias, topolepsias, tropolepsias, chreolepsias, his quãdo tua sunt, miror te non etiã addidisse œnolepsias. Hæc enim tã stulta, aut alius addidit tuo libro, aut nõ eras sobri⁹ quũ scriberes. Mirũ uero ꝙ in loco nobis hic adducis, deus psonas nõ respicit, hoc est, deus ex omni gente, ex omniũ mortaliũ genere p fidẽ admittit ad Euãgelij gratiã, ergo nihil refert qd apud quos aut quomõ disputes. Nec his contentus addis epiphonema: uides, inquiẽs, iterũ ꝙ temere irruis in uerbũ dei, quasi tuas cogitationes & cõsilia lõgissime illi præferas. Si hæc à febricitãte dicerẽt, qd dici poterat insanius? Ego toto pectore ueneror uerbũ dei, sed nõ arbitror qcqd asseueras esse uerbũ dei. Et si dei uerbum nõ tractes, meliore fide ꝙ tractas nostra, pspicuũ est quãtũ oporteat tribuere tuo euãgelio. Ego si min⁹ erudite, saltẽ timide, cũ ꝙ reuerẽtia tracto sacras literas, inhærẽs orthodoxorũ

ueſtigijs,ac metuēs ab eccleſiæ decretis re/cedere. Tu uiolentus irrumpis,ac ſubmo/tis omnibus,cōtendis hoc ſentire ſcriptu/rā,qđ uis, quodcp tuis dogmatibus cōmo/dū eſt.Breuiter ſic rem geris,q̄ſi tuā uelis eſ/ſe uictoriā nō Euāgelij, & q̄ſi ſacræ ſcriptu/ræ dominus eſſe poſtules nō diſpenſator.

37 Efflagitas à me ut præſcribam oportuni/tatem docendæ ueritatis.Impudenter hoc flagitas ab Eraſmo, qui nihil omnino ſcit, nec nouit perſonas, tempora,modos,cer/te neſcit corda hominū, quæ ſolus omnia nouit Lutherus. Atque in hoc triumpho camelum ſaltantem nobis exhibens laſci/uis inuerſo Virgilij carmine: Ante ſuum clauſo componet tempore finem mūdus. Vidiſti quicquam iſtiuſmodi inficetiarum in mea Diatriba? Mox facis me præſcri/bentem formulam, ne Papa indignetur, ne Cæſar iraſcatur,&c. Quāquam nec iſta quæ uelut abſurda fingis, tam ſunt,cp uide/ri uis: Quid enim peccat, ſi ueri prædica/tor ſic orationē moderetur, ut quoad fieri poteſt, non exaſperentur potentes,ſed al/liciantur potiuſquā prouocentur,& ſi ſpes nulla eſt, ſaltem ne ſine fructu iritentur.

Et tamen

Et tamen quod exigis iam ex parte præsti ti, non ex me sed ex sacris literis. Qui canibus obijcit sanctum, qui margaritas porcis, peccat: & in cõtemptores excutite puluerem. Habes personas. Quũ nulla spes est fructus, sed nihil aliud quàm tumultus excitatur, cedẽdum est, donec sese offerat melior oportunitas. Habes tempus. Cæterum docendi modus ex his omnibus circumstantijs sumitur, nec omnes certò præscribi possunt, quandoquidem ex re nascuntur ac uariantur, sed hoc dispensatoris prudẽtiæ relinquitur, quid cuiq; conueniat. Paulus mauult cõsuere coria, quã 1. Cor. 9. ali beneficentia Corinthiorũ, quod tamen suo iure poterat, nec circunducit sororem mulierculam, sed omnia sustinet ne quod offendiculũ det Euangelio. Apostoli ductas uxores relinquunt Euangelij studio, nec ducunt, quũ nulli fuerit interdictum, nũc qui iactant pro Euangelio milies esse moriendum, ea faciunt, quæ plurimos alienãt ab Euãgelio. Si bonus medicus est qui quibuslibet quælibet porrigit pharmaca, sit bonus Theologus qui nulla uel personarum uel temporis, habita ratione quo-

modocunq; prouulgat uerbũ dei. Omnis scriptura diuinit⁹ inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendũ, ad corripiendum, ad erudiendum. Nihil igitur tua refert, quid apud quos, quomodo proferas alí, quid è sacris literis? Eadẽ docebis catechumenũ, quæ iam futurũ episcopũ? Iisdem locis ages cũ Ethnico philosopho, quibus cũ Iudæo? Eadem mysteria proferes apud irrisurum, & discẽdi cupidum? Nec deliges è sacris literis quæ dicas apud sacras uirgines, & lenones scortaq; publica, nec referre putabis, utrum priuatim comiter moneas principem aut episcopũ, an apud populum seditiose uocifereris in illos, nec aliter obiurgabis ingeniũ putidulũ, & ad desperatiõem proclíue, quàm erectũ, ferox, & cõtumax? Atq; hic míhi ingeritur mea paraclesis, in qua uolo neminem secludí à lectione sacrorum uoluminũ. Idem multo diligentius ago in appendice, quæ præcedit paraphrasim in Euangeliũ Matthæi: uerum præscribo, qualem esse uelim qui legat libros sacros, & rationem indico qua legi debeant. Si permitto omnibus ut legant sacros libros, ideóne de quibuslibet difficultatí/

difficultatib⁹, apud quoſuis, & quouis mo
do diſputandum eſt in utranque partem?
Et huic capiti additum eſt uirulentum epi
phonema: Quorũ, inquis, furori tu Eraſ
me, hoc conſilio tuo pernicioſe inſeruis.

Taxans quorundã inciuilitatẽ, monue 38
ram ſi quid forte perperã eſſet cõſtitutum
in concilijs, ita corrigendum, ut tamẽ par
ceretur, quantum fieri poſſet, autoritati
Pontificum & conciliorũ, quam nõ expe
dit uulgo contemni. Si idẽ efficit ciuilitas,
quod tumultus, nónne quod tranquillius
eſt, præferendũ eſt? Si tu mauis ſeditioſam
maledicentiam, ego plurimum abs te diſ
ſentio: Immo tuæ ſententiæ reclamant &
literæ & uita Apoſtolorum. Quorſum igi
tur attinebat hoc ſcommã, niſi quod nun
quam maledicendo ſatiaris. Hoc ſcilicet
Papa uoluit à te dici, & audit libentius q̃
Euangelium, ingratiſſimus ſi te Cardina
li pileo cum cenſibus non rurſus honora
rit. Non te pudet Luthere manifeſtæ ua
nitatis? Mihi ne datur ullus cenſus à Pon
tifice? Immo quod Adrianus obtulit recu
ſaui. Galerum Cardinalicium aut dedit ali
quis, aut ambij, qui dignitates multo etiã
inferiores

inferiores manibus pedibusque recusauit? Sed qd faceres? huiusmodi fabulæ iactantur inter fratres fideles, quib⁹ diffidere nefas est. Quàm tibi nihil est pensi quid in quem dicas. Sed haud scio an tu rursum posueris pro uicissim, ne uidearis infantiam omnino simulare. At interim non desinis inpingere, quod contra conscientiã, ea defendam quæ nõ oportet, in gratiam pontificum, ac spe præmiorum, quo nihil est falsius, id quod te quoque scire credo, quantumuis dissimules.

Iam quod toties inculcas fieri non posse, ut hominum constitutiones seruentur cum Euangelio, prorsus abs te dissentio. qui uideo quasdam hominum cõstitutiones esse necessarias, quasdam utiles, tametsi displicet immodica turba, in qua nonnullæ sunt quæ rectius tollerentur. Et hic si uellem ingererẽ, quàm tibi non constes, quum alicubi pronuncies ceremonias infirmis esse necessarias. Nam certũ est hominum constitutiones ferè in ceremonijs uersari. Sed interim hic aliud agimus, nec est animus ab argumento digredi, ne nimiũ operæ in his rixis ponamus. Tãdem

& hoc

& hoc caput claudis dilemmate. Si de uerbo dei sic sentis, impie sentis, si de alijs, nihil ad nos uerbosa disputatio consilij tui. Iã ostẽdi referre, sacras literas apud quos doceas, deinde demonstratum est, me nõ tantum loqui de sacris literis, sed de quæstionibus hinc existentibus, quibus tandẽ & admiscet sese humana philosophia. An hoc est dei uerbum, omnia ex mera necessitate fieri, & nostros conatus nihil ad rem facere? Hoc paradoxon tuum interim fingo uerum in aliquo sensu. De quo si perconteris alios, dicent esse hæreticum. Nec ideo taceri uolui quia durum est, ut ais, sed quod homines ad malum pronos, & imbecilles inuitet ad licentius peccandum. Tuum paradoxon elicis è sacris literis, sed opinionem suam ecclesia quoque sumpsit è sacris literis, ut iam res pendeat, non à uerbis scripturæ, sed ab interpretatione. Cæterum in hoc peccas, quod nobis perpetuo tuam interpretatiõem obtrudis pro uerbo dei. Itaque nec impie sentio de sacris literis, in quarum interpretatione malo sequi sententiam tot orthodoxorum & ecclesiæ, quàm tuam unius & paucorum

tibi

tibi iuratorum,& tamẽ ad te pertinet mea díſputatio, qui tale dogma inculcas auri/bus imperitorum, quale ſi citra controuer ſiam uerũ eſſet,non abſque periculo euul/garetur apud quoſlibet.

59 En iterum ſyllogiſmus cornutus oppo/nitur. Si hæc paradoxa dicis eſſe hominũ inuenta,quid æſtuas, cõtra quẽ dicis? &c̃. Sin autem dei uerba eſſe credis illa para/doxa ubi eſt frons tua? &c̃. Audi contrà, nobis uidentur eſſe commenta hæretico/rum,diuinas literas ad ſuum ſenſum detor quentium. Et tamen hic fingo eſſe huma nam opinionẽ è ſacris literis, fortaſſe per/peram intellectis, conceptã, quam patiar inter eruditos ſobrie diſputari, apud pro/miſcuam multitudinem iactari nolim. Au fer igitur iſta,uerbum dei,uerbũ dei. Non eſt nobis bellum cum uerbo dei, ſed cum tua aſſeueratiõe,neq; enim pugnat ſecum dei uerbum, ſed hominũ interpretatio cũ interpretatione collidítur. Si iudicium ec/cleſiæ te mouet,quod aſſeueras commen/tum eſt hominũ, quod impugnas uerbũ eſt dei. Si nihil te mouet,tamen euidẽtiſſi mis rationibus euincas oportet quod aſſe

ris,

ris, priusq; iubeas nos in tuã ire sententiã, pugnantem cum tot ecclesiæ luminibus, atque adeo cum publico ecclesiæ iudicio. Nunc quum antequam cõgressus sis cum mea Diatriba, sic exultes, insultes, gestias, quid aliud q̃ triũphũ agis ante uictoriã? Ista rhetores seruant iam probatæ rei, si liceat ad singulas causæ partes agere triumphum: aut perorationi, si sint unico trium pho cõtenti. Sed indecẽtius est quod non tantũ exilis, gestis, ac ludis, sed ostẽtas trophæa nõdum erepta, circũfers hostis prostrati simulacrum, quem nondum aggressus es. Quàm enim ineptis tuo schemate εἰρωνεύομαι, qui me non pateris similibus, hoc est, uulgatissimo schemate uti: Scilicet creator tuus à te creatura discet, quid utile & inutile sit prædicari, ac stultus ille uel imprudẽs deus hacten⁹ nescierit quid doceri oporteat, donec tu magister eius, modum ei præscriberes sapiẽdi & mandandi, q̃si ipse ignorasset, &c̃. Scilicet ista tã stolida uidẽtur tibi falsa dicta, quasi iã euiceris tuũ de lib. arb. dogma, sine cõtrouersia esse uerbũ dei, & q̃si dispẽsator uerbi diuini nõ debeat circũspicere, quid apud quos, quo tempore,

tempore,quóue modo depromat è dupli
ci penu ſacrarum literarum, quod accom
modum ſit auditorũ ſaluti. Dic te quæſo:
Nullũ ne uidiſti unquam concionantem,
qui tibi diſplicuerit quod parũ tempeſtiua
loqueretur? Nónne recte facit qui in qua
drageſima ea proponit populo quæ faciũt
ad pœnitẽtiã,uitæq; correctionẽ? ferijs pa
ſchalibus lætiora deprompturus? Opinor
& te dicturũ apud populũ reputare non
nunq;,quid dicendũ,quid reticendum, &
quibus modis tractandũ ſit quod aſſumis.
Et hæc qui monet præit creatura creatori,
deoq; præſcribit ſapiẽdi mandandiq; mo
dum,& deũ uiuũ, nihil aliud imaginatur
eſſe,niſi leuem aliquem & imprudentẽ ra
bulam in aliquo ſuggeſto declamantem,
aliaq; tam ſtulta ut uix credã ex tuo inge
nio profecta fuiſſe. Ex hac admonitione
mea cõſequit,quod infers. Plane hic pro
41 dis mi Eraſme,q; ex animo ſuperius uene
randã diuinorũ iudiciorũ maieſtatẽ ſuaſe
ris. Quis Luthere fuit ille pditus ſycophã
ta,qui hæc libro tuo admiſcuit? An ille qui
monet ſacram doctrinã,ad utilitatem au
dientium eſſe temperãdam,ficte docet,in

ſacris

sacris literis reuerēda mysteria, quæ superant intellectus humani modum? An ille blasphemus est in deū? Nam hoc subijcis in proximo capite, qui non uult altius penetrari in quæstionum adyta, & conducit ad salutem & Christiani gregis concordiam? qui uerbi diuini dispensatorē, uult esse sobriū, ac circūspectum, ut sciat quid cuiq; cōueniat? Nullus igit nō uide, q̄rū hic fundas tragicæ facūdiæ, hoc magis ridiculus, quo uehemētius & impotentius, præter causā uerbis debaccharis? An docet deū nō esse timendū, qui docet nulli salutem cōtingere, nisi ex misericordia dei? qui fatetur deū quosdā attrahere, quosdā suo animo relinquere, cōsilio arcano et inscrutabili? An quisquis non accedit tuis assertionibus & interpretationibus pensat diuinam scripturam ad sensum impijssimorū hominū? Et qui uel ob imperitiā quā tu mihi tribuis affatim, uel ob imbecillitatem animi, non audet sese tuæ fidei committere, iam publico ecclesiæ iudicio damnatæ, mauultq; tot insignium uirorū sententiam, mauult ecclesiæ decretum sequi, & tuū & Vuycleui dogma, is impiā

indignationē ſuā declarat aduerſus deū? Huiuſmodi cōcluſiōes homo dialecticus colligis ex meis uerbis, et cū his mira ſedulitate σκιομαχῆς, aut ſi qd umbra inaniusq; Hæc igit quū ſint alieniſſima à re, deinde manifeſto falſa, debebāt oīno taceri ab eo q̄ pterſūmā eruditionē, etiā ſpm dei ſibi uindicat, multominus cōueniebat tot uerbis inculcari, repeti, infigi. Quæ ſi uera eſſēt, & ad rē pertinentia, tñ erant, ut dixi, poſt partā uictoriam in triumpho decantāda.

Mox ita reſpondes quæſtionibus meis,
41 quaſi ego docuerim, hoīes abſque ſpiritu poſſe uitā corrigere, aut quaſi ſpūs per illū nō operetur in animis hoīm, qui circunſpecte diſpēſat ſermonē Euangelicū. Niſi forte ſentis ſolā electionē dei ſatis eſſe, nec opus eſſe doctoris officio. Quid eſt igit, qd apud Ezechielē dñs ſic litigat cū malis paſtoribus? Ad ſecundā ſic reſpondes, quaſi doceā à quo q̄ amari poſſe deū, niſi fuerit attractus ab eo. Quur obiurgātur apud Eſaiā muti paſtores? qa tacuerūt ubi pferendū erat uerbū dei. Eadē ratiōe ſunt obiurgādi, qui uel aliud prædicāt q̄ uerbū dei, uel aliter prædicant q̄ oportet. Et hic

rurſus

rursus blasphemũ facis Erasmũ, homo blasphemijs undiq; scatẽs. agnosce tuas uoces uere inq; tuas luthere. Sic hñt. Quũ ego fecissem ipios murmurãtes aduersus bonitatẽ ac iusticiã dei, sic loqueris: Nullus hominũ credet, neq; poterit, electi uero credẽt, cæteri nõ credẽtes pibunt, indignãtes et blasphemãtes sicut tu hic facis. Quã hic uides meã blasphemiã? an qa recito qdipſi dicturi sint? ac ne qs suspicet hæc sub mea psona dici addo: Sic em̃ iterpretabunt̃ pleriq;, sũt em̃ fermè mortaliũ ingenia crassa et carnalia, prona ad incredulitatẽ, pcliuia ad scelera, ppensa ad blasphemiã, ut nõ sit opus oleũ addere camino. Hactenus diatribe. An hæc uerba nõ satis declarãt, quorũ murmura recitẽ? An ideo blasphemus sum, qd nolim occasionẽ dari propẽsis ad blasphemiam? Talia scilicet effundit spũs iste cuius arbitrio regeris. Sed ad relíqua pperandum. Bene habet, tãdem satiatus opinor cõuicijs, permittes aliquãtisper respirare, uertis em̃ te iã ad docendũ, qd utinã solum egisses. Adducis autẽ duas causas, quare tuum dogma debuerit apud omnes inuulgari, quarũ una est, ut homo, 4 2

ſui deſperans ac deiectus, non aliunde ſpe
ret ſalutem quàm à ſolo deo, cuius miſeri/
cordiæ proximus eſt, qui intelligit ſe ſuis
uiribus ne tantulũ quidem poſſe ad aſſe/
quendam ſalutẽ. Altera eſt, ut per hoc do/
gma detur locus fidei, cui non eſſet locus,
niſi deus quũ ſit iuſtus, uideretur iniuſtus,
& quum ſit miſericors, uideretur crudelis,
& niſi uideretur occidere, quum uiuificat.
Obiicerem nec iſta ſuo loco dici, niſi tuũ
eſſet dogma, nihil referre, quo loco dica/
tur. Quũ enim hæc tractentur in diſputa/
tione noſtra, ubi pugnas cum argumentis
meis, dixiſſes tempeſtiuius. Sed tamẽ quo
niam rem ſeriam aggrederis, non grauа/
bor tum audire, tum reſpondere. Neceſſa/
rias autẽ grauiſſimasq; cauſas nobis adfe/
ras oportet, ſi perſuadere uelis, hoc quod
iam ſeculis tenuit populus Chriſtianus cũ
ſuis doctoribus, & in hũc uſq; diem tenet
eccleſia, pernicioſum eſſe dogma, impium
hæreticum ac blaſphemũ, tuum uero eſſe
præcipuũ articulum Chriſtianæ fidei, ſine
quo nemo poſſit eſſe ſaluus. Ne dixeris igi
tur, quod ex abũdanti deprompſeris duas
cauſas, nam prima cauſa, qua nobis impo/

nis

nis silentiũ, dicens: Satis est, quod deus uoluit hæc inuulgari, nec est hominis quærere quur ita uelit, nihil aduersum nos facit, propterea quod assumit pro confesso, qđ est controuersum, uidelicet tuũ dogma esse uerbum dei. Quare ne posthac nos urgeas ista responsione, nisi prius euiceris qđ assumis, ut certissimum, quum non solum sit anceps, uerum etiam à scholis & Ecclesiæ primoribus damnatum. Excutiamus igitur Achilleas tuas & inuictas rationes. Mihi quidem per se neutra uideť impia. Quis enim non fateatur esse pium, ut homo sibi diffisus, totus pendeat à misericordia dei? Et pie docet, qui docet facta dei non esse dijudicanda, sed certo credendũ, deum semper esse iustissimũ, etiamsi quando sensibus humanis uideatur iniustus, esse misericordissimum, etiam si quando uideatur crudelis. Hæc, inquam, omnia pie sancteque docentur, sed tamen multum absunt ab eo, ut nobis approbent tantam necessitatem tui dogmatis, quantam uideris uis. Ais enim alicubi, citius optandum ut totus mundus pessum eat in chaos, ꝙ ut hoc dogma reijciatur. Imò fructus utri

usque tuæ rationis sequitur ex opinione, quam hactenus ut piam sequitur ecclesia, ut nouo dogmate tam seditioso nihil sit opus, ne commemorem interim uitata pericula, quæ tuum dogma secum trahit, rursusque commoda, quæ secum nostra ducit opinio. Nam quod ad priorem attinet causam, in Diatriba demonstro, eundem deiectionis fructū sequi ex opinione quā defendo, qui sequitur ex tua. Quur enim sibi fidat, qui scit se nihil posse nec incipere nec finire, nisi auxiliante gratia dei, cui fateor summam omnium quæ recte fiunt acceptum ferri oportere. Neq; quicquam interest inter te & me, nisi quod ego facio nostram uoluntatem cooperantem gratiæ dei, tu facis nihil aliud quàm patientem. Nam quod addis, quàm diu persuasus fuerit homo sese uel tantulū posse pro salute sua, manet in fiducia sui, nec de se penitus desperat, & ideo non humiliatur coram deo. &c. & occulte manet superbus, & gratiæ dei aduersarius, Hæc ut fortiter abs te dicuntur, ita dicuntur absque ulla probatione, & reclamante scriptura: nec omnino quicquā habent noui præter hyperbolen

perbolen. Dicis, qui nihil dubitat à uolun-
tate dei pendere, is prorsus de se desper-
rat, nihil eligit, sed expectat operantem
deum. Is proximus est gratiæ, ut saluus fi-
at: Eadem nos dicimus, nisi quod non sa-
tis intelligimus quid sibi uelit illa particu-
la: nihil eligit, nisi forte sentis eum diffide-
re deo, qui sibi uitæ genus eligit, quod uel
aptius iudicat uel tutius. Cæterum quod
in immensum exaggeras desperationem
sui, & redactionem in nihilum, tuæ sunt
hyperbolæ. Alioqui conclusio tui ser-
monis, nō minus quadrat nostro dogma-
ti quàm tuo. Ea sic habet: Hæc est, inquā,
una ratio, ut pij promissionem gratiæ hu-
miliati cognoscant, inuocent & accipiant.
Quomodo se eriget aduersus deū, qui no
uit sibi nullam esse salutis spem absque sin
gulari dei gratia, qui persuasum habet ui-
res hominis uniuersas nihil prouehere ad
salutem, nisi adsit gratiæ præsidium: præser
tim quū non ignoret, hoc totum quod po
test naturæ uiribus, esse gratuitum dei do-
num. An qui cupiat oceanū transmittere,
cōfidit se hoc posse assequi, nisi contingat
nauis & uenti? Et tamen inter nauigandū

non erit ociosus. Neq; enim liberi arbitrij professio huc tẽdit, ut homo minus tribuat dei misericordiæ, sed ne desit operanti gratiæ, & habeat qđ sibi imputet si pereat. Ego sic exaggero dei misericordiã, sic exte nuo uires hominis, ut in negocio salutis ni hil sibi possit arrogare, quãdoquidem hoc ipsum quod est aut ualet naturæ dotibus, dei munus est. Tu sic attollis gratiã, ac deij cis hominem, ut alteram aperias foueam, quã occlusimus, paululũ quiddam tribuen tes lib. arbitrio, uidelicet quod se accõmodet gratiæ, uel auertat à gratia. Altera ratio nõ impia quidẽ est, sed aduersus me ni hil facit. Hoc ipsum doceo quod tu, ut homo diffisus suis uiribꝰ totũ se præbeat operanti gratiæ diuinæ, credatq; deum iustũ, etiamsi uideatur humano sensui iniustus, clementẽ, etiãsi uideatur crudelis. Quanq; ne id quidẽ perpetuo uerum est. Etenim apud Esaiam deus puocat Israëlitas, ut ueniãt & arguãt ipm si possint. Et Ezechielis 18. uelut ex æquo disputat cũ populo, coarguẽs illorũ iniustitiã & suam euincẽs iustitiã. Nec deus semp abscondit suã erga nos misericordiam, ut sit locus fidei, sed multis

argumentis

argumentis approbat nobis suã misericordiã. Nec abscõdit suã ueritatẽ, quo maiore merito credat uerax, sed tot prophetarum oraculis, tot figuris, tot miraculis, denique præstando p filiũ & apostolos quæ promiserat, declarauit se ueracem esse. Quin ipse dñs quanq; ad tẽpus dissimulauit naturã diuinam, tamẽ ueritatem nõ abscõdit, sed omnibus modis illustrauit, ne quid haberẽt increduli, quod suæ culpæ prætexerent. Itaq; quod addis ὑπερβολικῶς, si posset ulla ratione cõprehendi, quomodo is deus sit misericors & iustus qui tantam iram & iniquitatem ostẽdit, nõ esset opus fide, nemo tibi concedet: sed dei benignitas sic alit fidem nostrã, ut ex quibusdam argumẽtis, quæ sensu ac ratione cõprehendimus, credamus & illa quæ cõprehẽdi nõ possunt. Tantũ de his hoc loco dixisse satis est. 48

Videbar euasisse, sed ecce paratũ est aliud cornutũ dilemma. Si credis, inquis, esse uera paradoxa, quũ sint maximi momẽti, nõ alia re magis irritabis curiositatẽ hominũ ad inuestigandũ, q; dum doces nõ esse euulgãda: Si uero credis nõ esse uera, doce occultãda, nõ q; inutilia sint, sed q; fal-

ſa. Audi paucis ad hæc: Si credidiſſem tuũ paradoxum eſſe uerum, non oppoſuiſſem meam Diatribam. Et ſi te tantopere offendit mea ciuilitas, quod diſputãdi gratia finxerim aliquo ſenſu uerũ eſſe, cõtentus uocare paradoxũ, utere uocabulis & iudicijs aliorũ, qui pugnãt cũ tuis paradoxis. Sunt enim in prõptu. Illic reperies nõ Scepticas ambiguitates, quas execraris, ſed meras aſſertiones Stoicas, quibus delectaris. Tantum ne mihi fraudi ſit, qd comiter res aſperas uerbis molliorib⁹ tractaui, quo minus cõcitaretur tumultus, rebus plus ſatis exaſperatis, & ueritas certius eluceſceret. Et ridicule me iubes tacere priorẽ, quũ p te iam ſit euulgatũ ꝓblema, cuius ea pars quã tu ꝓpugnas piculoſe ingeriẽ auribꝰ ppli. Verũ illd urit animũ tuũ qd adamatã tuã opinionẽ auſus ſim attingere, ſecus ꝙ uelis.

45 Cuius ſtudio ante tẽpus incipis nobis probare rerum omnium neceſſitatẽ, aſſumẽs ueluti tuo iure, quod nondũ euicíſti, uidelicet nos nihil opari, ſed ſolũ deũ operari in nobis et bona & mala, et tamẽ mox duos facis deos, qui uiciſſim inſideant uolũtati noſtræ, agantq; quò uelint. Et ſic diſtinguis

ſtinguis neceſſitatẽ coactionis & immutabilitatis, quaſi nos iſta cõfuderim⁹. Quod ais hominẽ peccato captiuũ, non poſſe ſuis uiribus uoluntatẽ ſuã ad bonũ flectere, niſi afflatur gratiæ ſibilo: fatemur & nos, pſertim ſi de flexu efficaci ſentias. Cæterũ illud mihi tecũ non cõuenit, quod ais, hominẽ in quo operatur gratia, nõ poſſe ſeſe auertere à gratia, quẽadmodũ q in ſole eſt nõ poſſet occludere oculos. Alioqui quur arguunt apud Paulũ, qui ſemel illuminati, guſtato dono cœleſti, ac participes facti ſancti ſpiritus, prolapſi ſunt ad malicia⁹? Nec ſimilitudo tua probat noſtrã uoluntatem omnino nihil agere. Nã iumentũ regitur quidẽ à ſeſſore, tamẽ obtẽperans illi, agit aliquid cum illo. Nõnunq̃ obnititur freno, calcitrat, reſiſtit, interim et excutit ſeſſorẽ, nõ quod deus poſſit excuti, ſed quod offenſus inobediẽtia noſtra, relinquat nos noſtris cupiditatib⁹. Porrò illud è pſalmis: Vt iumẽtũ factus ſum apud te, & ego ſemper tecum, legerant & illi, quibus non placet iſta rerum omnium neceſſitas, legerãt & Chriſtum aſino inſediſſe, uerum nihil aliud arguunt, quàm rectricem ac moderatricem

ratricē gratiā, admonētq; ne gratiæ repu/
gnemus. Sed ut dictū est, ante tēpus abs te
47 dicta, suo loco tractabuntur accuratius.

Hæc quidē abs te triumphaliter dicta sunt, sed ante tempus, sed nondum euicto cui niteris. Nunc elatus rebus secundis au des maius quiddam polliceri quod est in uictoria pulcherrimum, te me meo iugula turum gladio, planéque conuicturum, me imprudentem negare, quod tanta pru/dētia conor asserere. Quod ni strēnue præ stiteris, interposito sacramento, uis omnia quæ in hoc libro aduersum me scribis esse reuocata, rursus omia cōfirmata quæ mea Diatriba in te uel asserit, uel quærit. Age Luthere, accipimus conditionem, tu uide ne recedas à iureiurando. Iamdudū expe/ctamus istam uiolentam argumētationē. Fateris, inquis, liberum arbitrium citra gra tiam inefficax esse ad salutem. Agnosco. Ergo submota gratia nihil faciet boni. Ni/hil. Igitur non liberum est, sed captiuum. fateor. Hic mihi concedis ut liberi arbitrij uim, quā extenuaui, faciam si libet angeli cam, tamen euincis nullam esse, si per se nihil efficiat. Et obiter admisces, liberū arbi

trium

trium sine gratia, nihilo rectius dici liberũ, quàm si dicas ignem frigidum, aut terram calidam, quod scholæ uocant oppositum in adiecto. Audi nunc contra. Primum tu semoues gratiam à libero arbitrio, at ego quum dico liberum arbitrium aliquid agere boni, coniungo cum gratia, cui dum obtemperat, feliciter agitur, & agit, dum resistit, meretur à gratia deseri, desertum nihil agit nisi malũ, quod hic tu fateris. Est igitur aliquid quod agit aliquid: Nec est oppositum in adiecto. Quemadmodum enim liberos homines distinguimus à seruis, qui pariter bello capti sunt, non quod iam sint suæ potestatis, sed quod nati sint ingenui, & si possint uictorum manus effugere redeant in naturalem libertatem. Sic homo conditus est, ut haberet liberum arbitrium. Id tyrannus satanas captiuum abduxit, gratia restituit, & auget. Nec reñcio sophisticam distinctionem de qualitate hominis naturali, qua aptus est rapi à spiritu, modo illud addas, qua aptus est & agere cũ agente spiritu. Ea qualitas si, ut dicis, non est in bestijs, sed tantum in hominibus

minibus & angelis, agamus gratias deo qui nos hic à bestijs segregatos angelis æquarit. Vides hic non esse oppositum in adiecto. Poteram autem tibi objicere titulos sepulchrorum, hic situs est Annibal, quum illic non sit Annibal. Hoc satis erat, ad excusandum abusum uocabuli. Nunc uide quomodo me stringis: Nihil efficit sine gratia, igit nihil omnino facit cũ gratia. Hiccine laqueus est, quo me capis? An latinis inefficax sonat, qd prorsus nihil agit? An idem declarant facere & efficere? Pharmacum efficax dicimus, non quod aliquo modo mouet corpus, sed quod perficit id cui fuerat destinatum: rursus inefficax, nõ quod nihil egerit in corpore, sed quod impar fuerit pellendo morbo. Audis uulgo conquerentes, quod quũ omnia fecerint, non effecerint tamen quod uolebant. Proinde non est noua significatio uocis huius, sed à priscis hucusq; obseruata. Quid, inquis, est uis inefficax, nisi prorsus nulla uis? Vt hic nos doces latine loqui, ita in disputatione satis cum supercilio negas latine dici, nihil agere qui sumit operam inanem

nem, quia sic expediebat tuæ causæ. Quid igitur sibi uult apophthegma Catonis, qui dixit satius esse ocioſum esse quàm nihil agere? quid Seneca, quum scribit maximam uitæ partem elabi nihil agentibus? Ità ne nulla uis est pueri trahentis magnam nauem, quam citra auxilium robustioris mouere non posset? Omnino uis est aliqua, sed ineffícax, simul agens cum robusto trahente, quum sola non possit efficere quod uult. Hic scilicet uiceris, si tibi largiar, liberum arbitrium absque gratia non posse dici liberum arbitrium: si largiar liberum arbitrium non posse accipi pro naturæ habitu, capaci gratiæ diuinæ: deníq; si largiar, ineffícax nihil aliud sonare, quàm quod omnino nihil facit. Hæc est illa tua uiolenta uictoria. Mihi magis uidetur precaria, perinde quasi quis dicat hosti: Iugulabo te tuo gladio, modo abijcias clypeum, & ne punctim ferias. Res ipsa loquitur Luthere, quantum abſis ab illa tua pollicitatione. Quid superest nisi ut canas omnium palinodiam, desinasque meæ Diatribæ contra iusiurandum facessere negocium?

Si me

Si me sic teneres ut hic te teneo, quis fer/ret tuos triumphos? Sed aliâs uacabit tri/umphum agere. Nunc currendum ad re/liqua. Quod contendis soli deo tribuen/dum liberum arbitrium, eo quod solus ef/ficiat quæcũq; uult, fateor in aliquo sensu uerum esse, & tamen non dubitamus an/gelis tribuere immortalitatem, quod solus deus dictus sit īmortalis, nec ueremur ho/minem appellare bonũ aut sapientẽ, quod solus deus dicatur bonus aut sapiens. Nõ enim libet hic tecum argutari, si pugnant inter sese liberũ arbitriũ & necessitate du/ci, quum dei uolũtas nihilo magis sit mu/tabilis q̃ ipse deus, nemo magis agit omĩa necessario quàm deus, qui si potest aliud esse q̃ est, poterit et aliud uelle quàm uult. Rursum si huius uolũtate metiris omnes hominum actiones, facis omnes æque ne/cessarias, quas nunc uis esse contingẽtes. Deinde si liberũ arbitrium dici nõ potest, quod ex suis uiribus nihil efficit, ne arbi/trium quidem dicetur, quando pro suo ar/bitrio dicitur agere qui libere facit quod uult, neq; minus erit oppositũ in adiecto, quũ dicitur liberũ arbitrium inefficax, q̃

quum

quum tu uocas captiuum arbitrium. Vbi seruitus est & captiuitas, ibi nec arbitriũ est. Quid quod ne uoluntas quidem proprie dicetur, quæ nihil eligit, nihil expetit, nihil agit. Quanquàm per me quidem licebit aliam uocem huic rei tribuere. Nec ad me pertinent, quæ hic congeris de lapidatione, si nominemus liberũ arbitriũ, quum illi tantillum uirium tribuamus. Qui bene docet apud populũ esse liberũ arbitriũ, sed inefficax absq; dei gratia, non meretur lapidari. Sed sic est tuum ingenium, nihil loqueris absq; tragicis hyperbolis, quod genus sunt & illa, de uehemẽtia ignis tartarei, & de ui angelica siue diuina. Nec alia re magis studes uideri solus doctus q̃ paradoxis & hyperbolis, quum nihil sit accõmodatius ad seditionem.

Nec uideo tamen quid fuerit opus frigidis illis similibus de mendico, qui dicatur locupletissimus, quod rex illum possit locupletare, & de homunculo imbecillo, aut si mauis lũbrico, qui dicatur dominus cœli et terræ, si deus illi donare uelit, ita tu, ne recedas à tragicis, nos de habitu naturali loquimur, qui tametsi fuerit oppres- 49

sus ui, tamen conditionis uocabulũ reti/
net. Deniq; si te tantopere offendit, liberi
arbitrij nomen, quod nihil efficiat ex sese,
tolle simul & arbitrij & uoluntatis uoca/
bulũ, quãdoquidem non est arbitriũ, ubi
nihil potes tuo arbitratu: nec est uolũtas,
quæ per se nihil efficit, ut tu argumẽtaris.
Et multo frigidius est quod adfers de titu
lis principum, qui stulte titulos sibi uindi/
cant earũ regionum quas alius possidet.
Hæc collatio si qd ualet, aduersum te ua/
let. Omnino Luthere in hoc capite friges
totus, etiamsi tibi μάλα ὑπερβολικῶς ὑπερ/
βολῶς uideris induxisse uim ignis tartarei.
Hæc cõparatio magis quadrabit: Hic ha/
bet ingenium felicissimum si careret fe/
bri. Quanquam quod ais de igni quem
non pateris ignem dici si nõ urat, nõ tam
uerũ est q̃ asseris. Nisi forte ignis non erat
quo refocillabantur tres pueri in fornace
Babylonica, & nisi uana est illorũ opinio
qui putãt primã causam in oĩbus naturæ
rebus principaliter agere, adeo ut miracu
lũ esse negent si nõ urat ignis, aut si nõ lu/
ceat sol, nisi quod præter solitũ accidat.

50 Tandem factus ciuilior permittis nobis
ut uta/

ut utamur liberi arbitrij uocabulo in rebus inferioribus, quæq; non pertinent ad salutem, uelut in possessionibus. Atqui in tua assertione doces adeo nullum esse liberum abitriũ, ut ne festucã quidẽ mouea mus è terra, nisi absoluta necessitate, et hic quoq; confirmas arbitriũ quod habemus in rebus inferioribus, dei nutu regi. Nimirũ eadem temeritate, concedis dici liberũ, qd̃ pẽdet ab alieno nutu. Si liberꝫ arbitriũ prorsus est nomen inane, & si necessitate absoluta gerũtur oĩa, quur hic immutabilẽ dei uoluntatẽ subijcis hoĩm arbitrio? sed hæc aliâs. Tandẽ post longas ambages disputationẽ tuam redigis in compendiũ: Si tua, inqs, præfatio de uerbis dei loquitur, tota ipia est, si de uerbis hoĩm, tota frustra scripta est. Ad hoc ita respõsũ est, ut ostenderẽ uitiosum esse tuũ dilẽma, quũ sint quæ neq; prsus sint uerba hoĩm, neq; uerba dei, sed interpretationes uerbi dei, de quibus aliqñ dubitare fas est, aut quæstiones ex dei uerbis erutæ, in quibus multis modis peccat: uł quia scrutatio progredit altius quàm opus est, uel quia natura quæstionis est eiusmodi, ut plus cõducat

ad diſcordiam ꝙ ad pietatem, qualis eſt illa, in opere bono quod eſt libero arbitrio commune, utra cauſa ſit principalis aut ſecundaria, gratia an liberū arbitrium, & pronunciatur, quantum ad eſſe ſubſtantiale, principale eſt liberum arbitrium, quātum ad eſſe meritoriū, principalis eſt gratia, uel quia uocatur in dubium, quod iā eccleſiæ conſenſu receptum eſt, uel quia diſputantur ubi non oportet neꝙ quemadmodum oportet. Neꝙ em̄ damno diſquiſitiones moderatas huiuſmodi quæſtionum inter eruditos, ſed uulgus arceo ab huiuſmodi conflictatiōibus. Veluti nō expediret apud populum diſputari quæ diſputat Thomas de ſimplici ſtupro, an ſit peccatum capitale, diſſerens argumentis ad utranꝙ partem faciētibus. Hæc ita habere declarat mea clauſula, qua finio totam hāc diſputationem. Proinde tales materias fortaſſe tractare licuerit, in colloquiis eruditorum, aut etiā in ſcholis Theologicis, quanꝙ ne hic quidem expedire putarim, ni ſobrie fiat. Cæterum hoc genus fabulas agere in theatro ꝓmiſcuæ multitudinis mihi uidetur nō ſolū inutile, uerū etiā

etiã pernicioſum. Malim igitur hoc eſſe perſuaſum, in huiuſmodi labyrinthis non eſſe terendam ætatẽ aut ingenium, q̃ Lutheri dogma uel refellere uel aſſerere. Audis Luthere, theatrum promiſcuæ multitudinis, audis non eſſe terẽdam ætatem, & dubitas quid ſentiam? Nec interim impingo tibi quod tu rem ab eccleſia definitam, reuocas in contentionem. Et ſi maxime loquutus eſſem de uerbo dei, reſpondi & in hoc peccari, ſi ſecus quàm oportet diſpenſetur. Quanq̃ nobis non cum uerbo dei res eſt, ſed cum tuis interpretatiõibus & aſſertionibus. Nec hic habes quicq̃ q̃d mihi iure obiicias, niſi quod ciuilius tecũ ago quàm res poſtulabat. Hæc quum ſint euidentiora quàm ut negari poſſint, nimirum intelligis quantum uerborum, quantum dilẽmatũ, quantum dicteriorũ, quantum impietatis & blaſphemiarum incaſſum effuderis. Ego uero tua dogmata nõ appello fabulas, ſicuti calumniaris, ſed aio eos qui tales quæſtiones ancipitibus argumentis tractant apud imperitam multitudinem, eſſe ſimiles hiſtrionibus, qui fabulã ſaltant apud populũ promiſcuũ, non

omnibus accõmodã. Nec es tam rudis la/tini sermonis, ut non intellexeris quid sen tiam, sed ita tibi propositum erat, quẽad/modum Midæ quicquid attigisset uerte/batur in aurũ, quicquid nãcisci posses uer/tere in calumniam. Sperabam iam animũ istũ tuũ saltem exaturatum conuicijs, sed modus nullus, oĩa loquor inepte & igno/ranter, quod meminerim linguæ quã ha/bet peculiarem sacra scriptura simul cum tropis. Et tu qui nihil nõ apte dicis, sed sci enter omnia, sic interpretaris mea dicta, quasi coner ostẽdere scripturarum obscu/ritatem ex tropis, quum longe aliud agã: uidelicet ut quemadmodum diuina sapiẽ tia sermonem suũ attemperat ad affectus captumq; nostrum, itidem dispensator di/uinæ scripturæ, suam linguam accommo det ad utilitatem auditorum. Si clamas hoc esse rhetorum cõmentum, audi mea uerba, sic habẽt: Nõ quod huiusmodi mu tationes cadant in naturam dei, sed quod sic loqui conueniebat infirmitati tarditatiq; nostræ. Eadem prudentia decet illos, opinor, qui dispensandi sermonis diuini partes susceperũt. Quædã ob hoc ipsum

noxia

nóxia ſunt, quod apta non ſint. Hæc uerba tam dilucida quum habeat mea diatriba, uide quàm apte, quàm ſcite nobis hic ingeris calumniam de ſcripturarum obſcuritate.

Quanquàm quis hoc tibi conceſſerit, tropos in literis diuinis nihil habere obſcuritatis, ſi modo adſit grammatica, quum in Geneſi paſſim torqueant tropi, & in allegoriis prophetarum tantopere ſudẽt eruditiſſimi uiri?

Exagitas & illud, quod ſcripſi ſatius eſſe, ſi apud imperitam multitudinem cũ Paulo nihil ſciremus niſi Ieſum Chriſtũ, & hunc crucifixum, rideſque nos ſi credamus Paulum apud Corinthios nihil aliud docuiſſe niſi has ſyllabas, Chriſtus eſt crucifixus, quæ ſi alius Luthere diceret, merito cauillator uocaretur. Sed q̃ſ es hic inepte falſus, tam in altero es impudens aſſertor, contendẽs Chriſtũ crucifixum, omnia retruſa, omẽs quæſtiones, omnia tua dogmata cõplecti, omnes Chriſtianos eſſe perfectos, quos nõ oporteat quicquàm celari myſteriorum, ſed Iudæos eſſe pueros, ab his recondenda myſteria.

Si Christianis ueluti perfectis nihil est ce/
landum,quur Paulus ait se habere sapien
tiam quam loquitur inter perfectos oc/
culte,cuius nō putet Corinthios esse ido/
neos auditores,quod adhuc essent carna/
les,quur non omnibus Christianis cōmu
nicauit ea quæ audiuit raptus in tertium
cœlum? Quur Galatas fouet lacte, diffe/
rens solidum cibum? Atq; hic rursus obli/
tus es,quod ante docuisti,uerbum dei es/
se prædicandum omni creaturæ,nunc fa/
teris Iudæos non esse capaces huius sapiē
tiæ,nec prædicandam nisi inter Christia/
nos. In altero tibi repugnas,in altero forti
ter asseueras quod nemo crediturus est,ui
delicet quod quisunq; docet Iesum crucifi
xum,simul doceat,quicquid de libero ar/
bitrio,de præscientia,de futuris contingē
tibus,de necessitate rerum omnium disse/
ritur. Similiter & in tertio reclamabitur ti
bi,quum ais omnes Christianos esse per/
51 fectos. Post hæc in ipso disputationis ue
stibulo,mira copia,paricq; uehementia,tra
ctas quod à uobis cupiebam doceri, qui/
bus argumentis nobis possit fieri certa fi/
des,te cum paucis uera docere,quum cæ/
cutierint

cutierint tot ecclesiæ doctores, tot acade-
miæ, tot cõcilia, & tot Pontifices &c. quũ
scriptura sit utriq; parti communis. Hunc
nodum utinam possis recte dissoluere.
Nam id sæpenumero tentaui cum tuis,
neq; quenq; adhuc inueni qui potuerit.
Fateor ingenue torsit hic scrupus serio a-
nimum meum, & si cupis, ut dicis, charis-
simum fratrem lucrifacere, nihil prius est
faciẽdum, q; ut hanc remoram amoliaris,
patiar conuiciorum tuorum colaphos &
alapas, modo præstes quod cupio. Lon-
gum sit hic repetere meam orationem su-
per hac re, relegat qui uolet locum in dia-
triba. Nunc uide quàm non absoluas q⁹
miro calore suscepisti. Statim calumnia-
ris quod præfatus me in hac disputatio-
ne non usurum orthodoxorum, aut con-
ciliorum præsidijs, sed tantum autorita-
te scripturæ diuinæ, quo uitẽ frustraneũ
laborem apud eos qui nihil admittũt præ
ter sacras literas, ingenue fateor esse uerũ.
Nec utor illis, nisi forte alicubi in enarrati-
one scripturarum. Nam meam expositio
nem protinus reiecisses priusquàm audis-
ses totam. Præterea quod non iudicẽ eos

ſcriptores prorſum inutiles ad iudicandã cauſam, non inficior. Vt enim primam autoritatem tribuo literis diuinis: ita non aſpernor ſi quid tanti uiri contulerunt ad intelligentiam ſacrorum uoluminum, etiam ſi non neſciam, illos ut homines alicubi labi. Nec uideo quur iſta putaris dicẽda, niſi forte hoc quoq; credis impium ac blaſphemũ aliquid tribuere doctoribus, quibus tantum autoritatis tot iam ſeculis detulit eccleſia catholica, quorum teſtimonia ne tu quidem grauaris citare quoties cõmodũ eſt. Cæterũ quod eã collationẽ ad te totã proprie trahis, inique facis, quũ ego te noĩatim exceperim, ne uiderent̃ in te om̃ia dici, quæ dicebãtur in quoſdã mihi propius notos. Numero, dignitate & autoritate, atq; etiã tpe uos ĩferiores eſſe, res ipſa loquitur. Eruditionẽ, ingeniũ, ſpiritum, ſanctimoniam ſic illis tribui, ut uobis non detraxerim: & odioſam morũ uitæq; comparationem uitaui, ne quem offenderem. Quare nihil ad rem attinebat hic te meminiſſe uitæ tuæ, quum ego uitam tuam ne uerbo quidem unquàm attigerim. Nec ſum tã impudens, ut hominis

ignoti

ignoti uitã insecter, nec tã inciuilis ut ubi de dogmatibus est cõtẽtio, uitæ sordes ac domus latebras ĩ mediũ adferã, etiã si qua scirẽ reprehẽdẽda. Sic & aliàs deprecaris auaritiæ, gloriæq; suspicionẽ ἀπολογούμε/νος, quum nullus accuset. In istis eñ pati/ar te deo causam dicere, cui stas aut cadis. Quod si nominis splẽdor, sanctimonia, di/gnitas, autoritas eorũ quos tibi oppono sic aliqñ mouit animũ tuũ, ut itidẽ esses af fectus atq; ego nũc sum, planeq; despera res posse labefactari tot modis cõmunitã autoritatẽ, tanto debes æquior esse mihi, q ut minus sapio, ita minus audeo. Teq; obsecro, ut oñdas nobis, qbus rationibus, istũ scrupũ tibi ipsi ex animo excusseris, tan tãq; cõceperis fiduciã. Tu qdẽ appellas iu dicẽ deũ testatus synceritatẽ tuæ cõscien tiæ: Verũ hoc agebã, ut indicares uñ no/bis cõstare posset, esse uera quæ tui sibi ar rogant, præsertim quũ uideamus eos qui pari cõtẽtione sibi uindicãt spm̃, tãtis de re bus tã atrociter iter sese dissentire. Qui fa cile credit leuis est corde, meritoq; in no/bis desiderares uirilẽ cõstãtiam, si temere deficeremus ab uniuersa ecclesia catholica

nisi

nisi res esset nobis certissimis argumentis comprobata. Alioqui metuere debebas ne parum firmos haberes discipulos, si tã facile relictis doctoribus priscis, in tuã sententiam iremus. Nec enim hisce commoueor conuicijs, Nihil es nisi uox, &, quid autem sit ostensio spiritus, quid miracula, quid sanctimonia, hæc tria si à te requirã, quantum ex literis & libris te noui, imperitior & ignorantior uideris, quàm ut una syllaba queas ostendere, modo tu scientissimus omnium doceas nos quod scire cupimus. Sed uideris mihi Luthere similis plagosis quibusdã litteratoribus, qui quũ teneram ætatem erudiẽdam susceperint, cedendo, iurgando, conuiciando bonam temporis partem consumunt. Per tuam omniscientiã, ut uidetur, nõ licebit uti receptissimis uocabulis, adeo ut nec ficus liceat appellare ficus, nec ligonẽ ligonẽ. Et arbitror te tã scite definiturũ, quid sit spũs, sanctimonia miracula, ut declares in ecclesia nec esse spiritum, nec sanctimoniam, nec miracula.

Quomodo apostoli declararint spiritũ suũ, non cognoui nisi ex actis apostolorũ,

& ex

& ex Euangelio, nisi quod in illorum lite ris uidetur mihi spirare fragrantia quædã sancti spiritus, quam in multorum scriptis non inuenio. Ex ijsdem literis cognoui mi racula ab apostolis ædita, & lego sequen tibus signis à deo confirmatum illorũ ser monem. Nec alijs uestigijs deprehẽdo spi ritum, sanctimoniam & miracula, in alijs probatis uiris. Spirat quiddam in illorum libris, licet lõge infra apostolos, quod spi ritum & sanctimoniam illorum declarat. Deinde uitam & miracula didici ex histo rijs, quarum autoritatem apud me confir mat ecclesiæ consensus, qui memoriam il lorũ tam religiose colit. Aduersus tot ar gumenta, non multũ habet ponderis pro uerbium in scholis iactatũ, Multos in ter ra pro sanctis haberi, quorũ animæ sunt in inferno. Hoc dictum quum tu è triuio hauseris, tamen mihi pauloante exprobra ras, quod multa loquar ex usu & publicis sermonibus accepta, quæ mire frigeant, si ad iudicium conscientiæ uocentur. Atqui illud agebatur, ut quoniam nobis quibus non est donata discretio spirituũ, non con stat de uestra conscientia, ratio quædã ostẽ

deretur

deretur, quo possimus tuto fidere uestræ doctrinæ, reiecta ea quam tanto consensu sequutus est orbis Christianus, à tam multis, tam doctis, tam celebribus uiris tradi/tam. Ex hoc nodo multis modis conaris elabi. Primũ negas quenq; ueterũ ædidisse miracula in nomine liberi arbitrij, sed in nomine Iesu Christi. Atqui paulo ante nos docueras, hoc nomen Iesu Christi cõplecti etiam hæc dogmata quæ tu nũc doces. Vnde consequitur ut quisquis ædidit miraculum in nomine Iesu, credens cum illius gratia simul operari liberum arbitrium, in nomine liberi arbitrij miraculũ ædiderit. Nec ego doceo liberum arbitrium non esse spiritus sed humanũ quiddam, quin potius arbitror apostolos inter perfectos docuisse esse liberum arbitrium quod in nobis simul operetur cum gratia dei, præsertim quum hanc sententiam ex ipsorũ scriptis asserãt eruditissimi uiri. Aperis aliam rimam ad elabendum. Ais illos quãtumuis spirituales, aliquãdo ut homines iuxta carnẽ sensisse. Nõ repugnamus, sed qd obijcis est uobis cũ illis commune, & redit comparatio, utris potius

tius tribuendus sit spiritus, uobis an illis. Nec exigo à uobis miracula, sed cæteris paribus, argumentor illis potius habendam fidem qui miraculis claruerũt, quàm qui nullis miraculis commendantur. Proinde nõ æquum facis, quod uicissim à nobis exigis miracula. Neq; em̃ nos sumus huius noui dogmatis autores, sed eorũ auctoritatem sequimur qui sanctimonia, miraculisq; celebres sunt. Proinde nihilo uerecundius à nobis exigis ut miraculis asserāmus liberum arbitrium, quàm si quis exigat à Theologis, ut miraculis approbent Euangelij ueritatem. Satis enim est hoc semel miraculis, & orbis cõsensu fuisse comprobatum. Cæterum quod ludens ais, ab his qui asserunt exigi probationem non ab his qui negant: & rursus adfers è sophistarum, aut iurisperitorum scholis prouerbium, negatiua nihil probat. Primum respondeo legem istam sophisticam in decretis ecclesiæ nullum habere locum, nisi forte non compelleretur ad probationem qui negaret Christum natum ex Maria uirgine, aut negaret matrem eius fuisse perpetuo uirginem.

Ad

Ad hæc tu nõ ſolum negas receptum dogma ſed aſſeris tuum. Perinde quaſi quis ingreſſus fundum alienum, ui deiiciat eũ qui à tritauo poſſedit, ſic negans eſſe illius, ut aſſerat eſſe ſuum, an ab hoc non exigetur probatio? Imò iura fauebunt poſſeſſori titulo præſcriptionis, etiamſi quid defecerit in probatione. Si præſcriptio quinquaginta annorum repellit uindicatorem & cõſtabilit ius poſſeſſoris, nos pluſq; mille annis tenemus hoc dogma. Repellẽdus igitur eras, etiam ſi tãtum negares noſtrũ dogma, nunc tuum nouum ſic aſſeris, ut uelis nos à tam uetuſta poſſeſſione depellere. Et quando uideo te uerſari in rhetoricis, opinor te ſcire, in Anticategoriis quoniam intentio coniecturalis à reo retorquetur in actorẽ, ab utroq; pariter requiri probationem, qualis eſt illa controuerſia inter cæcum & nouercam, occidiſti patrẽ. Non ego, ſed tu. Hic ſit uterq;, reus ſimul & actor, & ab utroq; iudex expectat probationem. Itidem uos dicitis meum dogma pium eſt, ueſtrum autem hæreticum, nos totidem uerbis regerimus intentionem. Vides quàm inepte tibi arriſerit

pro/

prouerbium illud, negatiua nihil probat. Deniq; sic loqueris, quasi nullus ueterum unquam probarit liberum arbitrium, quũ ea res tot libris agitet et hodie, nec ab uno Variant, esto, sed in hoc consentiũt, quod liberum arbitrium sit aliquid, quod opitulante gratia nonnihil conferat ad salutem. At non admittis humanam probationem sine miraculis & autoritate sacrarum literarum. De miraculis iam dixi, testimonio scripturarũ & illi confirmant suam opinionem, sed illorum interpretationem reijcis. Verum eodem iure nos possumus reijcere tuam absq; miraculis. Proinde quod re uolutus ad conuicia iocosq;, neq; personæ quam geris, neq; disputationi tam seriæ cõgruentes, prouocas nostrum Baal, ut per liberum arbitrium uel unam ranam creemus, uel unum pediculũ occidamus, Primum satis procaciter deum Ecclesiæ, quẽ tot milia sanctorũ adorant, qui statuerunt ac statuunt liberum arbitrium, Baal appellas, & tuæ cõgregationi uerum deum uindicas. Nec interim tamen quicquã adfers ad soluendam quæstionem.

Nihilo magis ad rem faciunt quæ con-

55 geris capite proximo. Flagitas enim ut do
ceamus, quod nam opus bonum sancti fe
cerint ui liberi arbitrij. Et hic putas omnes
nos futuros ranis & piscib⁹ magis mutos.
Cui non erit in promptu uicissim rogare,
quod opus bonum in nobis agat gratia? si
nominaris, idē dicet fieri à libero arbitrio.
Quod si mauis responsionē magis accom
modā rei, nullus erit tam rudis aut infans,
quin ilico responsurus sit: nō hic agitur de
libero arbitrio miraculis asserendo aut ab
rogando, nobis enim pro miraculo est scri
pturarū autoritas, cū definitione Ecclesiæ.
Quid igitur agitur? Hoc agitur, an cōstan
tis animi sit, deficere ab opinione, quā tot
uiri sanctimonia miraculisq; celebres tra/
diderūt, deficere ab ecclesiæ decreto, & ani
mas nostras tuæ fidei committere, qui nu/
per cum paucis exortus es, quū nec tuæ cō
gregatōis proceres uel tecū, uel inter ipsos
consentiant: imò quū ne ipse quidem tecū
consentias, qui in hac ipsa assertione aliud
dicas in principio, aliud in progressu, πα/
λινῳδῶν quod prius dixeras. Nam qđ obi/
ter arguis liberū arbitriū non esse rem spi/
ritus, sed humanū inuentū, ex eo quod ini

tio

tio confessus sum hanc quæstionē & ante Christū fuisse iactatā inter Philosophos, uides opinor, q̄ frigida sit tua ratiocinatio. Mundum fuisse conditū docet Plato cum poëtis, an ideo Christiani nō recte asserūt mundum esse conditū, refellentes cos qui docent mundum non habuisse initiū? Plato docet animas supersesse à morte corporis, an ideo nobis nō est idem asserendū? Philosophi docuerūt deū esse mentē, summe potentē, ac summe bonā, quę nusq̄ nō adsit, quū nullo loco possit cōprehendi, an nō eadem pie asserunt Christiani? Aristoteles in œconomicis docet inter maritū & uxorem oportere mutuam esse charitatē, ac perpetuā amicitiā, qua arctior inter homines esse nō possit, an ideo Paulus male præcipit: uiri diligite uxores uestras? &c. Aliaq̄ sunt innumera, quæ nobis sunt cōmunia cū Ethnicis philosophis, nec id eleuat autoritatē dogmatū nostrorū, sed confirmat, q̄d illi per lumē naturæ nōnihil uiderūt earū rerū, quas nobis tradit scriptura diuina. Sed nō credimus philosophis, nisi cū scriptura cōsentiant: fateor, & liber. arb. ex scripturis asserimus: perperā inquies in

tellectis. Ergo de interpretatione cõtentio est. Tu necessitatem rerum omnium pau/lo ante probabas ex Vergilio, & liberũ ar/bitrium ideo non putas asserendũ, quod à philosophis tractatum sit?

56 Reliqua quanto copiosius prosequeris, quoniã nihil faciunt ad id quod proposue/ram, tanto plus uerborum perdis. Exigis ut tibi describamus formam ac uim liberi arbitrij, quid sit, quid possit, quid agat. At/qui iam ante cõfessus es omnia fuisse pro/dita sophistis, quid sit, quid ualeat, quid a/gat, quomodo habeat. &c. Videlicet ita postulabat tua rhetorica, ut tibi in odium mei laudares sophistas, quos cum nusquã nõ appelles impios ac blasphemos, tibi ne/gas illos βλασφημεῖν, quemadmodũ ego facio. Si blasphemi sunt, si impij, si hostes Christianissimi, si cæci, quum dogma sit mi/hi cum illis commune, quomodo liberas illos blasphemia, quam in me crimineris? Nos cum ecclesia descripsimus uobis libe/ri arbitrij naturam, uim & actionem, sed ea descriptio quæ placet ecclesiæ catholicæ tibi tuisq; displicet, probamus ex literis sa/cris, sed nostra interpretatio tibi non pla/

cet

cet. Tu neceſſitatem probas ex Vergilio, & ſacris literis, ſed tua interpretatio nō placet eccleſiæ. Quomodo igitur nobis comprobabis tuū dogma? Stipulaberis à nobis, ne quid requiramus aut recipiamus, præter literas ſacras, ſed ſic ut tibi concedamus, ut eas tu ſolus interpreteris, ſubmotis omnibus. Sic uictoria penes te fuerit, ſi patiamur te non diſpenſatorem, ſed dominum fieri diuinæ ſcripturæ. Porrò quod hic uiris ſanctis & orthodoxis à me laudatis inſultas, haud præter morem tuū facis.

Piget tantæ loquacitati reſpondere, quū extra cauſam dicantur omnia. Quādo incipies aliquid dicere de tribus capellis? Abſolue collationem noſtram, & indica, utris potius debeamus fidere, tibi, an tam auguſto ſenatui? Noſtram orationem ferre non potes, qui nihil ſim niſi uox, & nos Archytæ crepitaculum ſine fine feremus, tot ſuperuacaneis, tot conuiciis & inſultationibus radēs aures noſtras? Rurſus hic mihi impinguntur mea ſcripta. Admonui ut relictis humanis inuentiunculis adeant fontes diuinorū uoluminum, & nunc mihi contrarius, aliud facio & doceo. Qui

57

sic? Quia scribo diatribas, celebro decreta pontificum, autoritatem hominum iacto. In Diatriba non utor uel Pontificum, uel conciliorum, uel orthodoxorũ autoritate ad asserendũ liberũ arbitriũ: & si feciſſem, aliquanto tolerabilius feciſſem, q̃ quod tu mihi libellum Melanchthonis citas, uelut eiusdẽ autoritatis, cuius sint scripturæ canonicę. Sed in hoc dũtaxat induco collationem istã, ut nobis aperias, quur tibi potius credere debeamus quàm illis. Proinde uides ipse quàm sit impudenter uanũ quod addis, me nihil intentatum relinquere, quo uos auocem à simplicitate pietatis Christianæ. In Diatriba nõ meũ sed Ecclesiæ dogma defendo, uerũ absque præsidijs ecclesiæ: et defendo è sacris literis, nõ ut cõmentum hominũ, sed ut sententiã diuinæ scripturæ. Et huius uanitatis manifestissimæ adeo te nõ pudet, ut prioribus semper addas impudentiora. Sic eñ ex assumptis falsis elicis cõclusionẽ falsissimã. Ex quo facile intelligimus, inquis, nec ex animo te ista nobis cõsuluisse, nec quicq̃ serio te scribere, sed inanibus bullis uerborũ tuorũ confidis te orbem posse ducere quocũq; uis. Et

tamen

tamen nusquã ducis, cum nihil prorsus dicas nisi meras cõtradictiones per omia & ubiq;. Hæc uere tua sunt Luthere: ante cõstitueras excusare animũ meũ, nũc de animo meo pronũcias, quod ne illa quidẽ ex animo scripsi, quæ iuxta tuã quoq; sententiã recte scripsi. Quid aũt impudẽtius, q̃ me uelle ducere orbem meis scriptis, qui semper solus esse uolui, nec passus sum ullã factiunculã mihi adiũgi, id qd' tu facis ambitiosissime. Nec huiꝰ animi me pœnitet, malo malo esse ouis gregaria, q̃ dux suilli aut hircini pecoris. Iam quũ nihil dicã nisi meras cõtradictiões per oia secula seculorũ et ubiq;, tamẽ tu nondũ uel unũ locũ, pferre potuisti, in quo mihi nõ constem. Hoc crimen nõ prius obiicere debebas Erasmo, q̃ tu respondisses ijs, qui tuas cõtradictiones plurias è tuis scriptis decerptas, tibi libris æditis ingerũt. Addis, ut rectissime dixerit qui te ipsissimũ Proteũ aut Vertũnũ appellauit. Nõne sciebã futurũ, ut ex maledicis libellis aliqd mutuareris in me iaculãdũ? Et tñ is quẽ tu ut cõtio, dicis rectissime dixisse, tuo Philippo uisus est furere, quũ illa scriberet, q̃ literis quoq; suis testatus est.

Et si rectissime dixit ille, tu pessime dice/bas, quum me summum in theologia face/res. Sed nihil est miri, si tibi ex sumo theo/logo nunc factus sum Vertumnus, quum idem qui tũ tibi scribebar hircus insignis hærens in uepribus, nunc factus sim por/cus de grege Epicuri.

58 Post hæc ridicule repetis nobis nostrã affirmatiuam, & uestram negatiuam, de qua iam ante dictum est, nosq; uocas insa/nissimos, qui dogma de libero arbitrio po/stulemus à uobis admitti, non ob aliud, ni/si quia à multis, magnis & antiquis sit as/sertum. Quid fingi potuit impudentius, quum ego profitear me in Diatribæ confli/ctu cessurum, nisi testimonijs scripturarũ probaro quod affero. Ac rursus hic satis procaciter insultas Græcis orthodoxis, qui/bus miro lemmate adimis omnem autori/tatem, uidelicet, quod sancti nonnunquã errarint ut homines, & ostendis periculũ, ne quoniã Petrus fuit sanctus, credamus illum recte monuisse dominũ ne patere/tur. Sic disputat, qui nihil nõ scite, nihil nõ apte dicit. Pulchre scilicet Petrus adhuc Iu/dæus confertur cum Petro iam spiritu san/

cto

cto afflato. Et quomodo uideri possit hoc recte dixisse Petrũ, absit hoc à te domine, quũ mox reprehensus sit à domino? Vade retro. & cætera.

Et uelut hæc tam scite dicta nõ sufficiat 59
proposuisse semel, addis proximo capite, qui citant ueterum sanctorum opiniones similes esse his qui ridiculi gratia, garriunt non omnia esse uera quæ sunt in Euangelio, adferentes illud ex Ioãne: nónne bene dicimus nos, quod Samaritanus es & dæmonium habes? & rursus: reus est mortis. Quò ruis Luthere, aut quid tibi uis cum istis tuis uere blasphemis comparationibus? Qui citat aliquid ex eorũ libris, quorũ memoria tot seculis sacrosancta est Ecclesiæ, quorum scripta publicitus leguntur in templis, nihilo rectius facit ꝙ qui scurrantur, Iudæorũ impiorum dicta citantes ex Euangelio? Quoties autem tu quoque citas Augustini Gregoriiq; testimonia? Qui minus hæc tua comparatio quadrat in te quàm in nos? An in his quæ pro te faciunt, loquuti sunt ex spiritu, in his, quæ cõtra te faciunt, secundum carnem? Ne postula igitur, ut in causa liberi arbitrij prosit

tibi quod Augustinus toties abs te stat (ut iactas, quanꝯ hoc mox falsissimũ esse do/cebimus) ne tuam comparationẽ in te re/torqueamus, aut si in totũ adimis illis auto/ritatem, desine abuti illorum testimonijs, si multa pie, si multa præclare dixerũt, tam etsi lapsi in nonnullis, permitte nobis, ut quæ bene dicta sunt utamur, quod iuris & uobis sumitis. Sed iubes ex illorum libris eligi meliora, prætermissis his, quæ iuxta carnem loquuti sunt. Elegimus meliora, uos item elegistis meliora, sed nos ea dici/mus meliora, quæ consentiunt cũ dogma/tibus Ecclesiæ, uos quæ faciunt pro uestris dogmatibus. Quis hic litem dirimat, utri melius eligant? At hoc inquirebat mea cõ/paratio, ad quam tu nondum quicquam re/spondes, nec uideris omnino respõsu/rus. Nec tibi uideris hactenus satis debac/chatus in doctores ecclesiæ probatissimos nisi diuo Hieronymo impietatem, sacrile/gium, & blasphemiã impingeres, eo quod scripsit, uirginitas cœlum, coniugium re/plet terram. Planè impium sacrilegum & blasphemũ est dictum, te deprauãte. Qua si, inquis, patriarchis, apostolis, & Christia/

nis

nis coniugibus terra, nō cœlum debeatur, aut quasi uirginibus uestalibus in gētibus sine Christo cœlū debeatur. Quàm nihil tibi frontis in detorquendo. An Hierony/mus ibi loquitur de uirginitate, quæ cœ/lebs est absq; Christo? An sic insanit ut ta/libus promittat cœlum? Rursus an patriar chas excludit cœlo, quod habuerint uxo/res? Quid igitur dicit? In hoc præfert san/ctam uirginitatē sancto cōiugio, quod cō iugium in hoc institutū est, ut mortale ge/nus cresceret & propagaretur, iuxta illud: Crescite & multiplicamini, & replete ter/ram: uirginitas aūt cuius non augeat in ter ris hominū numerū, tamē doctrina castis/simaq; uita, plurimos adtrahit, ac ut ita di/xerim, gignit cœlo. Vnde & dominus bea tos pronunciat, qui se castrarūt propter re gnū dei. Ex hoc numero fuerunt apostoli, quorū ut aliquot legimus fuisse uxores, ita nō legimus eos post susceptum Euangelij negocium, uxoribus usos fuisse. Eundem in tua disputatione q̄ irreuerēter tractas, eo p̄ scripserit quædam scripturæ testimo/nia apud Paulum pugnare, quæ suis locis non pugnant. Hic nō satis est illū uocasse

luſcioſum, ineptum, nugonē, niſi tandem execrareris illius os ſacrilegū. Etiā ſi quid lapſus eſſet Hieronymus, poterat excuſari ciuiliter, & ſi non eſſet locus excuſationi, conueniebat errorē modeſte corrigi. Hoc opinor officium uelles tibi præſtari ſi quid accidiſſet ſimile. Nūc ſciebas Hieronymū optime ſentire de Paulo, nec illud in eo criminari quod abutereť teſtimonijs ſcripturarū, ſed quod nihil eſſet reconditū in ſcripturis, quod ille non accōmodaret ad Euangelij comprobationem. Qui ſic debaccharis in Hieronymum, nō pateris alios, quamuis ciuiliter abs te diſſentientes.

60 Iam quod dixerā non eſſe credibile, deum tot ſeculis diſſimulaſſe tam pernicioſum Eccleſiæ ſuæ errorem, ut nulli ſanctorum ſuorum reuelarit, quod uos euangelicæ doctrinæ caput eſſe cōtenditis, hoc modo refellis, ſophiſtā agens, ut dicas in nullo ſanctorum, aut in eccleſia quicquam erroris fuiſſe diſſimulatum, quum ſancti nō ſint niſi qui aguntur ſpiritu dei, ſpiritus autem non errat, quumq; Chriſtus cum Eccleſia ſua maneat uſq; ad conſummationē ſeculi: ſed huc tendit tua ratiocinatio, ut intelligi

telligi uelis, incognitũ esse qui sint sancti, quæ sit Ecclesia, quin insuper illud conaris persuadere, sic deum moderari res mortalium, ut ibi uideatur esse sanctorum Ecclesia, ubi non est, contra ibi sit, ubi non uidetur: Item semper habitos pro sanctis, qui fuerunt impij, pro impijs habitos qui fuerunt sancti. Sed hæc dum copiose declamas, quid aliud quàm cõfundis ac subuertis prorsus omne iudicium Ecclesiæ, & autoritatem arrogas omnibus hæreticorum cõuenticulis? Negas consequi, si deus passus est uiros eruditissimos longa serie seculorum errare, statim & Ecclesiã errasse, illam inquam Ecclesiam, quam tu dicis occultam esse, nec ostendi posse. Vnde igitur tibi constat, quod Vuicleuus fuerit uir sanct⁹, & Ariani fuerint hæretici? An ideo sanctus est Vuicleuus quod damnatus sit ab Ecclesia, quam tu papisticam uocas? Eadem ratione dices & Arium fuisse sanctũ, quod ab eadem ecclesia damnatus sit. Hic si prouocabis ad scripturas, quæro nũ defuerint Arianis scripturæ. Non defuerũt, inquies, sed eas perperam interpretabant. Sed unde nobis hoc constat, nisi quod illorum

lorum interpretationem reiecit ecclesia, di uersæ partis approbauit. Idem dici pote/rat de Pelagio, qui tibi quoque est impius hæreticus, nõ perinde, opinor, quod dãnatus sit ab ecclesia Romana, cũ quod repu/gnet tuo dogmati. Verũ donem⁹ fieri pos se, ut generale concilĩ sit ita corruptũ, ut aut nemo sit qui spũ dei agatur, aut si quis est, nõ audiatur, sed ex malorum opinione fiat senatusconsultũ, tamen probabilius est illic esse spiritũ dei, quàm in priuatis con/uenticulis, in quibus ferè deprehendĩ spi/ritus satanæ. Si non potest ostendi Eccle/sia Dei, & tamen oportet esse aliqua cer/ta iudicia, tutius opinor publicam autori/tatem sequi, cũ huius aut illius opinionẽ, qui contemptis omnibus, iactet suam con scientiam ac spiritum. Si satis est dicere, ha beo spiritum, credendum est igitur multis diuersa nobis ingerentibus, quum uera nõ possint esse, quæ dissonant. Quancũ ego non hoc agebam, an credendũ esset, quic/quid sancti docuissent, aut indubitatũ es/set quicquid Ecclesia definisset, sed æquatis cæteris, uolebam hoc probabilius uideri, quod à talibus uiris probatum esset, & pu

blica

blica ecclesiæ autoritate confirmatũ, q̃ q̃d hic aut ille de suo proferret. Nec tu tamen audes dicere, ꝙ hic ab origine mũdi semp fuerit ecclesiæ status, ut dicerent̃ populus dei qui nõ essent: alij rursus essent, qui neque sancti dicerent̃, neq; populus dei, sed sic ꝓponis, quis scit: Si fateris nesciri, quid agit tua assertio, quæ conciliorũ & orthodoxorũ omniũ autoritatẽ reijcit, ac rescindit oĩa fere ecclesiæ decreta? Si nobis constaret in uestra ecclesia esse spũm dei, merito hanc reijceremus cũ uestra pugnãtem. Nunc quũ fatearis incertũ esse ubi sint sancti, ubi sit uera ecclesia, quæ non errat, aut incerti fluctuabim⁹, aut sequemur ea quæ ueris sunt propiora. Quod aũt me prouocas ut ex Papæ regno uel unũ proferã Episcopum qui suo fungatur officio, aut unũ cõciliũ, in quo sit aliquid decretũ quod faciat ad Christianã religionẽ, ac nõ potius ad prophanas nugas de pallijs, dignitatibus ac censibus, quod ad priorẽ partẽ attinet, ut fateor esse paucos episcopos, qui uere agant ep̃os, ita quosdã proferre liceret, in q̃bus non desideres pij præsulis officiũ, inter quos numero Io. Episcopũ Roffensem.

sem. Sed hũc protinus reiicies, quod in te scribat, & ideo nihil habebit ponderis tua reiectio. Nec est qd hic clames me in gra/tiam illius scribere, nihil ab illo census uel accipio uel ambio, & in multis dissidet à meis opinionib⁹, nec meis studijs ita mul/tum tribuit. Postremo quid illo tuo simili dissimilius: Ciceronem deus permisit erra re in causa liberi arbitrij, ideo non est dissi mile ueri si quis dicat, quod deus permise rit doctissimos ac sanctissimos Ecclesiæ ui ros similiter errare. Quid deus reuelarit Ethnicis philosophis aut oratoribus, non excutitur in præsentia, sed quid fugerit il/los, qui gustauerunt spiritum dei, & in di/uinis literis multos ãnos diligẽtissime sunt uersati. An ideo non assequuti sunt quia uariant sententijs, aut quia disputãt suspen sa sententia? Sic nec uos consentitis in ue/stris dogmatibus. Et hic dicis, quis scit? Verũ an ideo Christiani non constantissi me credũt resurrectionem corporũ, quod philosophi summi uacillanter de ea dispu/tant? Addis ꝙ deus sanctos suos abscõdit, ceu nobile margaritũ nõ obijciẽdũ porcis, ne impius uideat gloriã dei: & tñ euãgeliũ dicit,

dicit, ex fructibus eorum cognoscetis eos. Si arbor bona iuxta atque mala ex fructibus cognoscitur, est aliquod de pijs & impijs iudicium etiam in hoc seculo, licet certissima sint dei iudicia. Et hic erat locus disputandi de comparatione fructuum, nisi decretū esset eam Camarinā nō mouere.

Hic Luthere suspicor mihi rem esse cū rhetore, cuius modestiam utinā tu in oībus tuis scriptis fuisses imitatus, longe pauciores abs te alienasses, aut si tibi credimus ab euangelio. Tu nullum conuiciandi modum nosti, neque quicq; omnino probare potes in eo qui refragatur tuæ sententiæ, hic tametsi in disputatione satis scurriliter deliciat in Diatribā: Quid agis mea Diatriba, & domina Diatriba, tamē te moderatior est, nisi quod studuit obseruare decorum personæ quam sustinet. Quanq; quæ hic disputat de sanctis, de ecclesia, nō multum faciunt aduersum me, qui non pugnē aduersus tuam sententiam ex illorum autoritate, sed ex diuinis literis. Cæterum posita rerum æqualitate, ex quibus tu iudicaris, & hominum sententia in æquilibrio nutante, quæro an aliquid momenti debeat habere 62

at habere ueterũ & eccleſiæ autoritas. Hic erat ſcopus diſputatiõis meæ, ad quẽ oportebat argumenta tua dirigere. Fateris eſſe eccleſiam quam allego, fateris eſſe ſanctos quos adduco, ſed diſtinguis canonem charitatis quæ fallitur, & fidei quæ nõ fallitur, quæ diſtinctio huc tendit, ne quem credamus ſanctũ, niſi diuinitus declaratũ. Charitas credit omẽs ſanctos q baptizati ſunt, fides non item. Vt hæc ita habeant, tamen quoniã charitas quæ ſperat omnia, multis etiam argumentis cõfirmata credit orthodoxos patres fuiſſe ſanctos, in ancipiti re tantum habere momenti debet, ut in eos ſimus procliuiores, qui tot ſeculis publico orbis præiudicio cõmendati ſunt, q̃ in eos qui non alio nomine commendantur, niſi quod baptizati ſunt. Itaq; ſi uultis illorum autoritatẽ nihil ualere ad confirmandam opinionem, nec ueſtra, nec ullius omnino ualere debet. Ad electionem meliorum iam reſpondi, quemadmodum ad ſcripturæ teſtimonia, quum & electio ſit utriuſq; partis, & interptatio. Proinde nec illa cantilena ad me pertinet, qua dicis quoſdam poſthabito iudicio cõfuſa uorare omnia, aut

aut peruerso iudicio meliora respuere. Vt tales aliqui sint, tamen nō est tam male suspicax charitas ut talem opinionem concipiat de proceribus ecclesiæ, nisi quod præscribunt manifestā præ se ferat impietatē.

Sed tandem accedis ad nodum quæstionis. Si, inquis, abscondita est ecclesia, si latēt sancti, qd cui credemus? & ut tu argutissime disputas: quis nos certos faciet, unde explorabim⁹ spm̄? si eruditionē spectes, utrinq; sūt Rabini, si uitā, utrinq; pctōres, si scripturā, utriq; amplectunt: sin scripturā iudicē facimus, huius multis in locis incerta est interptatio, & utraq; pars scripturā ad suū trahit sensū. Vnde seqr̄ ut hic scepticos agamus, nisi quod tu, inquis, omniū optime facis, q sic te dubitare dicis, ut ueritatem q̄rere te et discere testeris, Interim in eā partē inclinans q̄ liberū arbitriū asserit, donec ueritas elucescat. Finge mihi nullū esse sensum genij aut phraseos, an mihi Luthere putas obscurum quis hæc scripserit? Non tam dissimili uoce sunt psitacus & coturnix. An tu unq; dicere sustineres, ut tu argutissime disputas, cui ignorāter & insciēter dico oia? An tu sic loq posses, nisi qd 63

tu omnium optime facis, quum hactenus tam petulanter debacchatus fis in Erasmū uelut in Scepticum & Scepticis deterio/rem, nimirum totum Lucianicū & Epicu/reum? Rursus, posses tu dicere: Neq; nihil dicis, neq; omnia, qui ubiq; iactas me ni/hil dicere, neq; quicq; adferre præter bul/las & ampullas uerbōrū? Verum hæc quo modo se habeant non ita multum refert.

64 Tandem explicaturus nodū, facis quod in sophisticis soles calumniari, inducis du/plicem claritatē scripturæ diuinæ, item du/plex iudicium probandorū spirituū. Alte/rum est quo quisq; singulari dono dei illu/stratus, certissime iudicat & discernit omnia dogmata: de quo Paulus 1. Cor. 1. Spiritua lis omnia iudicat & à nemine iudicat. Et hanc appellas interiorē claritatē scripturæ diuinæ. Hoc, inquis, forte uoluerunt qui ti bi responderunt, omnia esse iudicio spiri/tus decernēda. Imò noui quendam, cui nō crediderim hunc adesse spiritum quem si/bi uindicabat, quum eum compererim cer tissimis argumentis mēdacissimum simul & glorioſissimum ac maledicentiæ insatia bilis. Deinde non hoc sensit quod tu inter

pretaris

pretaris, quum enim illi fuissem hactenus assensus, ut hunc aut illum suus spiritus redderet certum, perrexi quærere, unde hoc mihi constaret, qui non haberem donum dñjudicandi spiritus alienos: Ita fieri ut, quod tu quoque fateris, illius certitudo meam dubitationem non eximeret, ille reuocauit disputationem ad scripturas: rursus quum obiicerem uarias interpretationes, nihil aliud respõdit quàm spiritus, spiritus. Quare si tu potes hoc quod aggressus es dissoluere, rem nõ mediocrem peregeris. Fateris igitur, hoc iudicium nihil prodesse alijs, sed tantum illi qui hoc spiritu præditus est. Alioqui phanaticis omnibus esset habenda fides, maiore cõtentione iactantibus se habere spiritũ, quàm illi qui uere donum hoc singulare possident. Ostendis igitur & aliam scripturæ claritatem, uidelicet externam. Item externã spiritus declarationem, qua pro aliorum etiam salute certissime iudicamus de spũalibus decp dogmatibus omniũ. Age iam inhiãs expecto certitudinẽ istam. Addis hoc iudiciũ maxime pertinere ad duces ac præcones uerbi, quos arbitror uel episcopos esse

uel theologos, qui si inter sese concordarẽt in explicandis sacris literis, haberemus qd certum sequeremur, nũc nostri præcones aliud docent cũ tu, & tui sic inter sese dissentiunt, atq; adeo tibi fortiter reclamãt. Vbi est igit certũ iudiciũ quo etiam in ecclesia probamus, aut improbamus dogmata ex sacris literis, quæ regula est certissima, lux spũalis, sole clarior? At sentis ipse te nihil agere, nisi hoc quod assumis, quum sit controuersum, pbaris, teq; facturũ polliceris.

65 Age sequimur, si forte præstes, quod promittis, certe cupimus. Moyses dicit Deuteronomij. 17. de iudicio deferẽdo ad sacerdotes, si qua difficultas inciderit, quam iudices inter se uariantes nõ possint explicare &c. Quomõ inquis, iudicabũt de re cõtrouersa secundũ legem, nisi lex sit externe clarissima? Respondeo duobus modis, primũ si lex fuerat externe clarissima quibuslibet sensu cõmuni præditis, quur ipsi iudices nõ explicabant nodũ, quos probabile est nõ ignorasse legem, nec ideo dicuntur uariasse sententijs, quod legem non tenuerint, sed quod causa fuerit difficilis. Et ideo reijcit ad sacerdotes tãq; legis peritiores.

Altero

Altero modo sic respõdeo, Mosen nõ illic sentire de difficultatibus quæ exoriunt circa quæstionẽ liberi arbitrij aut similib⁹, sed de crassioribꝰ, q̃rũ aliquot illic exprimit exempla, uidelicet inter sanguinẽ & sanguinẽ, causam & causam, leprã & nõ lepram. Porrò q̃ adducis ad cõfirmationẽ argumẽti tui, de legibus, pphanis, p q̃s lites cõponi nõ possent nisi essent clarissimæ, contra te facit. Nã ut nõ inficiamur p leges plurimas dirimi cõtrouersias, ita manifestũ est in legibꝰ principũ plurimas eẽ tenebras. Alioq; quorsũ attinebat tot annis cognitioni legũ dare operã, si tam dilucidæ sũt ut unicuiq; sint clarissimæ, q linguã teneat, neq; careat sensu cõmuni? Inanẽ igit operã sumpserũt, qui tot uoluminibus conati sunt legũ difficultates explicare. Ineptiunt iudices & senatus, qui nõnunq; annis aliquot fatigant in unius causæ cognitione. Nõ recte dixit ille: qui iuris nodos & legum ænigmata soluat. Nec ualet tua collectio, si tanta lux est in legibus prophanis, quãto maior esse debet in literis, quæ ptinent ad æternã salutẽ. Primũ maior est rerum obscuritas quæ tractantur sacris uoluminibus: deinde non

impie dictum est quũ ab alijs orthodoxis, tum ab Augustino, cui tu non sine causa multum tribuis, deũ obscuritatem aliquã data opa reliquisse in sacris literis, quo magis excitaret nobis scrutandi studium.

66 Adducis ex psalmo xvij. Præceptũ dñi lucidum illuminans oculos. Sed præceptũ dicit lucidum, non uniuersam scripturam, quæ etiam si lucida est Dauid aut alijs afflatis prophetico spiritu, non statim dilucida est omnibus qui tenent grãmaticam & habent sensum cõmunem, quod tu toties affirmas. Rursum adfers ex psalmo 118. Declaratio sermonũ tuorum illuminat & intellectũ dat paruulis. Accipio testimoniũ, si tales paruulos sentias, qualis fuit Dauid, & sup quos requiescit spiritus domini: sin de quouis qui sciat linguam, multo secus habet res. Rursus qđ citas ex Esaiæ cap. 8. Ad legem magis & testimonium &c. Nõ dicit propheta nihil esse obscuritatis in sacris uoluminib⁹, sed minitat illis tenebras, qui consulunt Phytones ac uentriloquos. Nam eodem in loco additur, nunquid nõ populus à deo suo requiret uisionẽ? &c. Latebat Christus in lege, & tamen uerba

legis

legis non quibuslibet erant perspicua qui sciebant Hebraice, sed à scribis in lege exercitatis petebatur consilium ex lege, uelut quum Herodes consuluisset de puero Iesu, ubi foret nasciturus. Iterum Zachariæ cap. 2. lubet populum ex ore sacerdotis legem requirere. Pulcherrimus scilicet angelus, inquis, qui nũciet quæ tum ipsi sunt ambigua, tum populo obscura. Quin igit uos Zachariæ monitis obtemperantes, legem requiritis ex ore sacerdotum & pontificũ? Ad hæc quid erat necesse discere legẽ à sacerdote, quũ quiuis è plebe, qui sciret linguam & haberet sensum cõmunem, facile posset legem clarissimam intelligere? Ergo qui iubet legem requiri ex ore sacerdotis, significat eam non quibuslibet esse perspicuam, sed ostendit idoneum legis interpretem. Iterum ex psalmo. 118. Lucerna pedibus meis uerbum tuũ & lumẽ semitis meis: non tractat de perplexis quæstionibus, sed de præceptis recte uiuẽdi, quæ præ lucent & indicant, quid expetere, quid fugere debeamus. Et si maxime torqueas ad totam legem, non quadrat in quemlibet grammatices peritũ quod quadrat in Da-

uid. Hactenus ex ueteri testamento, sed qualia trecenta possis adducere, pergis ad nouum. ad Romanos secundo Paulus dicit Euangelium in sanctis scripturis promissum. Qualis autem, inquis, testificatio si obscura est? Si nihil erat obscurum in prophetarum oraculis, & figuris legis, quur umbræ uocantur? Et quur lucem uocamus Euangelicam, nisi quod quæ figurarum inuolucris tegebantur in lege, per Euãgelium sunt in apertũ prolata? An ibi nihil erat de Christo prædictum, quod nõ omnibus esset clarissimum, modo scirent Hebraice? Imò nec discipuli domini post tot sermones auditos, post tot uisa miracula, post tot notas & indicia quæ de Christo prophetæ prædixerant, intelligunt scripturas, donec Christus illis aperiret sensũ ut intelligerent scripturas. Iam Paulus ad Corinthios de claritate Moysi Christicę disputans, tantum eminentis claritatis tribuit Euangelio, ut dicat id quod claruit in hac parte, de lege loquitur, ne glorificatũ quidẽ fuisse. Quid quod data opera deus uoluit uaticinia de Christo nõ quibuslibet esse perspicua, quemadmodũ etiam

in tetris

in terris prædicari noluit ante mortem, quod esset Messyas, quod sic expediebat ad peragendum humanæ salutis negocium. Cæterum ubi iam apostoli nunciarent ea esse peracta quæ prophetæ prædixerant, tum & lex collata cum factis erat dilucidior, factumque est, ut & lex astrueret fidem Euangelio, & Euangelium illustraret legis ænigmata. Nimirum hoc sensit Petrus, qui propheticum sermonem similem facit lampadi lucenti in caliginoso loco, nec omnia reliqua facit tenebras, quum Paulus etiam ethnicis philosophis tãtum tribuat lucis, ut deum & huius sempiternam diuinitatem nosse potuerint. Omnis ueritas lux est. Et ab illis plurima uera prodita sunt, quæ cum Christianorum dogmatibus consentiunt. Ioannes erat lucerna ardens, quod prædicaret uerbum dei. Eadem de causa Paulus Thessalonicenses mundi luminaria uocat, quod uerbum uitæ tenerent, at non ideo quicunque illorum sciebat grammaticam intelligebat quicquid est difficultatis in sacris literis.

Christus erat lux mũdi, sed tñ in eo latebat

diuina

diuina natura, neq; statim nos assequimur quicqd est in Christo. Istiusmodi testimonia sexcenta poteras uel ex indicibus congerere in quibus luminis mentio.

67 Sed his etiam frigidiora sunt quæ sequũtur. Quid faciunt apostoli, dum suas prædicationes per scripturas probãt, an ut nobis tenebras suas maioribus tenebris obscurẽt? uel ut notius per ignotius probẽt? Quando nobis hic desines ingerere prophetas, baptistas, & apostolos, de quorum spiritu nemo dubitat, & quorum est sacrosancta autoritas. Illi quoniam habebant intus spiritum magistrum, quod erat obscurum in literis prophetarum explicabant. Nos de tuo tuorũq; spiritu loquebamur, qui pfiteris nihil esse in sacris literis, quod tibi sit obscurum, si modo grãmaticam teneas: exigebamusq; ut istius certitudinis tuæ faceres fidem, quod adhuc frustra conaris. Christus, inquis, apud Ioannem, iubet Iudæos scrutari scripturas, de ipso loquentes, quæ si obscuræ sunt, reddit illos ambiguos. Imò si nihil habẽt obscuritatis, quid sibi uult illud uerbũ, scrutamini? Nõ enim dicimur scrutari solem qui est expositus omniũ

tus omnium oculis,sed quod abditum est scrutamur.Et tamē quum addit dominus, illæ enim de me loquuntur,multum lucis addidit,indicās scopum prophetiæ. Sic in Actis docti monitiq; per Paulum scripturas cum his quæ gerebantur ac tradebant conferebant,multa non intellecturi,nisi lucem hanc addidisset apostolus.Nos igitur non fecimus eas obscuras,sed ipse deus sic aliquam obscuritatem illis inesse uoluit,ut tamen esset omnibus satis lucis ad salutem æternam,si quis intendat oculos,nec desit adiutrix gratia. Nemo negat certissimam ueritatem in sacris libris,sed ea nonnunq; figurarum & ænigmatum inuolucris obtecta est, ut egeat scrutinio & interprete,siue quod deus sic uoluerit exercere simul & excitare nostram tarditatem, quemadmodum ait Augustinus:siue quod iucundior est ueritas & acrius afficit animos hominum,quum eruta fuerit,& per tenebras inuolucrorum nobis eluxerit,quàm si fuisset oculis quorumlibet expositæ:siue quod thesaurum illum sapiētiæ noluerit quibuslibet prostitutum.Proinde nihil agis,unū aut alterum locum proferēs, qui nihil habeat

beat obscuritatis. Deus creauit cœlũ & terram. Hunc locum proponis ut nihil habentem obscuritatis. Neque enim in uerbis est quicquàm tropi, uel ambiguitatis. Et tamen uides quàm hic quoq; sudarint interpretes, quid hic dicat cœlum quid terram, & an ordine crearit singula an simul uno nutu omnia. His explicatis restat allegoriæ nubilum, ut uocat Hieronymus. Dices, eiusmodi difficultatum cognitio non est necessaria ad salutẽ: idẽ sibi uolebat spectus coricius, qui tibi stomachum mouit, quum altius scrutamur diuinas scripturas & necesse est, aut quàm pro captu nostri ingenij, tum humanæ mentis oculis occurrere tenebras in quibus abstrusa est æternæ sapientiæ maiestas, adoranda potius & perueſtiganda, quod idem quũ ipse doceas alijs uerbis, distinguens lumen gl'iæ et gratiæ, me docente impiũ est, quod te docente piũ. Verbũ caro factũ est. Quid apertius? Verũ nobis, quibus explicatũ est mysterium, legat eadem uerba Demosthenes si reuiuiscat, non intelliget. Ac nos quidem filium dei suscepisse naturam humanam scimus & profitemur omnes. Et tamen

men multa tractantur circa hæc uerba, quomodo solus filius susceperit hominis naturã, & quomõ diuina natura p animã humanã in eãdẽ hypostasim adglutinarit sibi corpus mortale, & quomodo ex guttula purissimi sanguinis spũs sanctus finxerit illud sanctũ corpusculũ, araneoli, ut aiunt, magnitudine, & an ania Christi statim ut creata infusáque est corpori, fuerit donata beatifica uisione, & an deus potuerit illi plus impartire gratiæ q̃ impartijt. Hæc aliáq; innumera existũt circa hæc uerba, uerbũ caro factum est. Idẽ dicis de articulis fidei, quos quum nemo non intelligat, hausimus ex sacris literis, utique clarissimis, alioqui qui possumus eos certo uel credere uel docere? Addis, quid faciunt qui adhuc hodie sacras literas prædicant, eas interpretantes ac declarantes? Quæ si obscuræ sunt, quis nos certos facit, ipsam eorum declarationem esse certam? Alia noua declaratio? Quis & illam declarabit? Ita fiet progressus in infinitum.

Hæc tu Luthere satis declamatorie, uerum si quod doces, ad sacrã scripturã non opus est, nisi grammatica, quid necesse est au-

dire

dire prædicatorem declarantem,& inter/
pretantem? Satis erat populo qui sacros li
bros non habet,prophetam aut Euange/
liũ prælegere,nec aliud quicq̃ explicare,q̃
si quid forte difficultatis lateat in uocibus.
Quod si urgeas,quid faciãt præcones Euã
gelij,Dicam: Frequenter ex ijsdem uerbis,
ut tu uis uideri, clarissimis, eliciunt diuer/
sas sententias,quasi ex eodem silice hic ignẽ
excuteret,ille aquam. Nec est quod hic re/
clames,hoc à papistis & sophistis carnali/
bus fieri,faciunt hoc tuæ cõmunionis præ
cones,qui non minus constanter sibi spiri
tum uindicant quàm tu. Si sacra scriptura
est undiquaq̃ clarissima,unde hæ tenebræ
inter uos, unde tanta de sensu scripturæ
digladiatio? Tu probas è literis arcanis,in
Eucharistia esse corpus domini naturali/
ter: Zuinglius, Oecolampadius & Capi/
to,ex ijsdẽ literis docẽt esse tantũ in signo.
Hoc erat caput huius disputatiõis, ut nos
faceres certos,te unum ueritissima clarissi/
maq̃ docere,in quibus hactenus halluci/
nati sunt orthodoxi patres, hallucinati sũt
ecclesiæ proceres, quorum iudicium si nõ
pateris usq̃quaq̃ certum haberi, certe pa/
tieris

tieris talium uirorum iudicio tantum esse ponderis apud nos infirmos, simplices & imperitos, quantum est tuo aut Vuicleui. Q d' si tibi ius sumis, ecclesiæ decreta quoties commodum est rescindẽdi, permittes & illi uicissim ut par pari referens tua rescindat ac damnet. Et si putas æquũ ut cũ tot orthodoxis cedat ecclesiæ senatus totus tibi nouo prophetæ surgẽti, cedere debes & alijs qui post te surgunt. Hæc argumentando tantum dicta sunto. Sed persequar orationis tuæ cursum. Si scriptura, inquis, obscura uel ambigua est, quid illam opus fuit nobis diuinitus tradi? An nõ satis fumus obscuri & ambigui, nisi de cœlo nobis augeatur obscuritas & ambiguitas & tenebræ? Hæc ita dicũtur, quasi dicam: omnem scripturam esse obscuram aut ambiguam, quum illic fatear esse thesaurum æternæ certissimæq; ueritatis, sed qui alicubi retrusus sit, nec pateat quibuslibet. Nec ideo sol obscurus est, si nubibus opertus non appareat, aut si luscioſus in clara luce caliget. Quanq; hæc omnia tibi dicuntur extra cõtrouersiã, agebã de quæstionibus perplexis quæ nascuntur è sacris literis, ali-

ter atq; aliter interpretatis. Hic erat profe/
renda certissima tua lux, quæ coargueret,
totius ecclesiæ cæcitatem. Nam quod ca/
uillaris lucem hanc semper occultatam fu/
isse in ecclesia quæ latet nec habet pro ec/
clesia, ut hoc tibi donemus, quod proba/
re non potes, probabilius est sanctissimos
pariter ac doctissimos uiros, ad illam oc/
cultam ecclesiam pertinuisse, quàm te cũ
paucis tuis. Nondum igitur præstas, quod
promiseras, sed pergis: Omnis, inquis,
scriptura diuinitus inspirata utilis est ad
docendum & increpandum & arguendũ.
Atque hic mire rhetoricaris, aut alius po/
tius tuo nomine, tu enim nõ potes decem
uerba differere, sine conuicijs: Imò inuti/
lis est Paule prorsus, sed ex patribus lon/
ga seculorum serie receptis, & sede Roma
na talia petenda sunt, quæ tu scripturæ tri/
buis, quare tua sententia reuocãda est ubi
ad Titũ scribis, episcopũ oportere poten/
tem esse doctrina sana exhortari, & argue
re contradicẽtes, &c. Quomodo, inquis,
erit potens, quũ tu scripturas ei relinquas
obscuras? hoc est, arma stupea, & pro gla/
dio tenués stipulas? Nõ dubito quin hæc

tibi

tibi uideāt admodū ſcite dicta, quū nec explicēt nodū à me propoſitū, & alioqui falſa ſint. Omitte hic Titos ac Timotheos, quorū alter erat à puero uerſatus in ſacris literis, uterq; Paulū habuit p̄ceptorē, ad hæc ſpiritum de quo nullus ambigit. An hodie nullus epiſcopus poterit uti ſcriptura diuinitus inſpirata ad docēdum aut increpandum, ſi quibuſdam in locis hæret? An medicus nihil habet quod conſulat ægroto, ſi quis locus ſit in medicorum libris de quo dubitet? An non erit potens in ſana doctrina, niſi q uere ſibi poſſit arrogare, nullū eſſe locū in arcanis literis, in quo hæreat? Hoc haud ſcio, an apoſtoli fuerint auſi profiteri. Vnde poſt annos mille trecentos eccleſiæ doctores obturarunt os hæreticis, toties alijs ſuper alios cooriētibus aduerſus ſcripturæ ueritatem? An pugnarūt ſtupeis armis, & pro gladio uerbi quem tū uibras habebant leues ſtipulas? Et tamen illi qui tantum ualuerunt præſidio diuinæ ſcripturæ, fatētur in libris diuinis eſſe quædam obſcura, quædam humanum captū excedētia. Et unde tam diu eccleſia ſuſpendit ſententiam de proceſſione ſpiritus ab

utroque, si tanta lux est diuinæ scripturæ, ut ad intelligendum satis sit grammatices peritia? Quid autem mõstri sit, si quomodocunq; incidente in scripturis ambiguitate, nos imperiti malimus consulere sedem Romanam q̃ Vuittenbergensem, eamq; dissentientẽ? Quis autem credit ecclesiæ Romanæ si sine scriptura pronũciet? Nec illa scripturas interpretatur nisi ex eruditorum cõcilio, tu pro tuo arbitratu interpretaris ex tuo spiritu, nobis incognito, ne dicam cognito. Nec est quod Christus cogatur ad palinodiam suæ uocis: Ego dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij uestri. Quid tu mihi apostolos obijcis, quũ de tuo agatur spiritu? Quod Christus apostolis pollicitus est, præstitit. Tibi non est pollicitus neque quibuslibet, & si tibi quoq; præstitit, doce certis argumẽtis, tibi uni datũ esse quod illis tã innumeris negatũ est. Hoc agebat, & hic nodus erat explicandus, & interim prolixis declamationibus eximis tempus, nec præstas quod polliceris. Nõ ego te cõfero cũ Christo aut cum apostolis, sed hominẽ incogniti spiritus cõfero cum tot orthodoxis,

thodoxis, cũ eccleſiæ primatibus, de quo/
rum ſpiritu, ut demus nobis nõ conſtare,
tamen iuxta tuam regulã, tot retro ſeculis,
bonã de illis opinionem habuit charitas, li
cet fides nihil approbet, niſi quod diuini/
tus fuerit cõmendatum. Et tamen exigis à
nobis ut illorum autoritatem reſciamus,
tua dogmata uelut articulos fidei tenea/
mus. Saltem concede nobis ius æquale, in
illorum & tua dogmata, ut de utriſq; lice/
at ſuſpendere ſententiã. Hæc nõ ex animi
mei ſentẽtia, ſed tui coarguẽdi cauſa dicta
ſunto. Tãdem ab apoſtolis & Chriſto tua
decurrit oratio. Quur, inquis, tu præſcri/
bis formam Chriſtianiſmi, ſi tibi ſcriptu/
ræ ſunt obſcuræ? Pro me reſpondebo: In
Diatriba nõ præſcribo formam Chriſtia/
niſmi, tantũ oſtẽdo, quouſq; pcedere de/
beat ſimpliciũ inquiſitio. Nec plus tribui
uolo meæ formæ, quàm ſuis ſcriptis tribui
uolũt orthodoxi cæteri, quibus multa de/
bemus, quæ ad pietatem attinent. Hoc ſi
tu quoq; fateris, quum illi fateantur obſcu
ritatem in non paucis ſcripturæ locis, aut
recanta quod toties confeſſus es illos mul
ta recte diſſeruiſſe, aut concede nobis ali/

qua pro uiríli docere, q tamẽ nõ negamus esse nobis nonnihil obscuritatis in sacris libris. Quod si his fidẽ omnẽ abrogas, quur tuis scriptis fidem haberi postulas, qui fateris te alicubi hærere, qui nonnunquã uariam adfers interpretationem, haud factu rus, si nihil esset obscuritatis aut ambiguitatis. Idem accidit tuis, alicubi dubitans & hæsitãs loquitur Pomeranus, & Oecolampadius, deniq; ipse Philippus, cui nihil nõ tribuis. In hos atque adeo in teipsum recidunt hæc omnia quæ tanta uehemẽtia copiaq; in eos detonuisti, qui putant in scripturis aliquid obscurum esse. Postremo fateris ipse, in arcanis literis obscuritatem incidere ex imperitia uocum, & addes opinor ex deprauatione codicũ, ex tropis, ex locis inter se pugnantibus. Hoc dato, redeunt huc omnia illa incommoda quæ commemorasti de obscuritate. Nõ enim refert unde sit obscuritas, modo sit ulla. Hãc certe negare non potes. Quod si detrahis omnem fidẽ ijs qui hærẽt alicubi, hæres tu, hærent tui quibus uis nos certam habere fidem: nec hærent solum uerum etiam sic inter se dissident, ut tua quoq; fortiter reiiciant

ciant damnẽtq́ꝫ,nec alio præsidio quàm sa cræ scripturæ.Hic profer omnem eloquen tiæ tuæ dissimulatæ copiam ac dinosim,di cturus in teipsum ac tuos,quicquid in nos dixeris. Quod addis enthymema, si scri/ pturã negas dilucidam, fateris multo mi/ nus dilucidos esse sanctos quos adduco: aliqua probabili specie diceres in me, si ex his impugnassem tuum dogma, nunc è sacris literis tecum congredior. Nec in aliud profero dotes ac numerum illorum, nisi ut te adigam ad proferendũ argumen tum euidens, quo sciamus tibi tuto pos/ se credi, & ab illis pie discedi: Id quum receperis, tamen post tot colaphos, ala/ pas,& sputa,nihil nos doces quod ad rem pertinet.

Fateris me non de tota scriptura senti/ 67
re,sed de locis ex quibus oriũtur huiusmo di quæstiones. Id si fateris, quorsum perti/ nuit, tot uerbis ita loqui,quasi totã obscu/ ram dixerim. Verũ illud, ut inquis, ad me ꝑtinet,qd̃ ego fatear aliquid esse obscurũ, tu nullã scripturæ partẽ uis obscuram esse. Audio, uolo,uerbũ imperiale, at ego ma/ lebã uocẽ doctoris. Qd̃ tu affirmas, ego

opto, quod tu dicis te scire, ego discere cupio, nec mihi satis est hoc asseuerari abs te, certitudinem efflagito quam tu profiteris. Doce nos externā scripturæ claritatē, quādoquidem hanc adimis ipsi ecclesiæ, ecclesiæq; luminibus, summoq; cū orbis tumultu tibi uindicas. Nec uerum est quod assumis, ecclesiā ex obscuris scripturæ locis pronūciasse de libero arb. licet huius quæstionis abyssum fatear esse imperuestigabilē: eoq; non altius penetrandū quàm sat est: sed mihi persuasum habeo ueteres & ecclesiam ex ipsis per se quidem claris scripturæ locis asseruisse quod asseruerunt. Nec tamen statim hac in re autoritas ecclesiæ interposuit suam sententiam, sed intentis aliquādiu oculis in scripturæ lucem, tandem perspecta manifesta ueritate pronūciauit. Fit enim frequenter, ut qui è tenebris prodeunt, nihil uideant in media luce solis, nisi aliquādiu intēderint oculos, & per tenebras quædam non statim uidemus, sed intendentibus oculis paulatim incipiunt nobis esse perspicua, quæ prius erant ambigua: quod idem accidit in rebus quæ procul absunt à nobis. Sed ita ciuilitatis causa finxi,

finxi, interpretationem utriusq; partis esse ambiguã, ut rebus æquatis, ostenderes aliquid quod nos in medio uacillãtes in tuã partem inclinaret. Simili modestia uocaui Diatribam nõ assertionẽ, & concludo me sequi probabilẽ opinionẽ, nõ quod ambigerem de recepta sententia, sed quod tua periculose proferretur apud multitudinem, uel quia sic populus discit diffidere decretis ecclesiæ, fieriq; possit, ut tandem incipiat dubitare de certissimis articulis fidei. uel quia tutum nõ est de receptis articulis apud idiotas in utrãq; partẽ disputare, uel quia quæstio recessus habet profundos, à quibus arcendi sunt imperiti, cũ his satis sit tenere dogma quod tradidit ecclesia. Nec in hoc tecũ sentio, quod æquas omnes articulos fidei. Sunt enim quidã tam euidẽtes, ut de his nefas sit disputare: Quod genus sunt, Christũ esse natũ ex uirgine, passum sub Pontio Pilato: quidã tales ut post diutinã disquisitionẽ, tandẽ fuerit publica autoritate comprobati, de quibusdã ne nunc quidẽ satis cõuenit. De perpetua uirginitate Mariæ dubitatũ est à nõnullis, donec illis occluderet os ex scripturis, rectius enar-

ratis. Dubitatũ est à ueteribꝰ, an Romanꝰ põtifex esset uniuersalis ecclesiæ pastor, & licuit donec accederet ecclesiæ doctrinã: & adhuc cõtrouersum est inter Scholasticos, an Romani Pontificis autoritas sit grauior autoritate synodi generalis. Proinde si tuũ dogma uis æque credi, atq; credimus symbolũ apostolorũ: pfer testimonia scriptu/rarũ æque dilucida, doce tuũ dogma, sta/tim ab Apostolorũ temporibus unà cum Euangelio ad nos decurrisse. Igitur ut illa certissime credo, ita mihi dubium nõ erat dogma de libero arb. posteaq; de eo pro/nunciauit ecclesia Catholica. Quur igitur disputas, inquis, tanquã rectiora sequutu/rus si quis doceat, quur Diatribam appella re maluisti quàm cõfutationem, quin hor taris omnes, ut meo reiecto dogmate, con stanter teneant quod tradidit ecclesia? Nõ deerant mihi uocabula, quibus & meã di/sputationẽ, & tuũ dogma uocarem, quæ ti bi iam noua non sunt, sed tẽtare libuit, an hac ciuilitate uel sanari posses, uel ad miti/us respõdendum inuitari. Deniq; uidebã res hominum plus satis exulceratas, nolui mei calami sæuitia oleum, ut aiũt, camino addere.

addere. Deniq; ne disputassem quidē, nisi tu fabulam hanc sic euulgasses, ut in textrinis ac sutrinis nunc passim disputetur, nullum esse liberum arbitrium, sed omnia mera necessitate geri: & quasi parum hactenus pfeceris, narrāt hāc tuā disputatiōem à Iona uerti in linguā germanicā, quo textores & agricolas in me cōcites, quos concitatos placare nō possim, linguæ ignarus.

Per omnia circūactus, tandem huc euadis, ut cōmunem sensum facias arbitrum decertantiū de claritate scripturæ. Resistūt enim, ut ais, & q clarissimis scripturæ testimonijs cōuicti sunt, sed cōmunis sensus indicat eos nihil habere qd merito cōtradicāt. Sic cōfutati Sadducæi, obmutuerunt qdē, at nō discesserūt ab errore. Ineptū fuerit referre qd Sadducæi potuerint respōdere, nimirū animas defunctorū nō recte dici hoies, deinde nihil absurdi si deus dicat Abrahā, Isaac & Iacob, à qbus cultus fuerat dū uiuerēt: quēadmodū patres supstites filijs, nomē patrū retinēt iuxta cōmunem loquēdi usum. at illic agebat de resurrectiōe corporū, q̄ nō euincit ex hisce uerbis. Dices, cur igit obmutuerūt? qa uirtus diuina erat

69

erat in uerbis domini, quæ credentiũ ani/
mos attrahebat, impiorũ conſcientias per/
cellebat. Verum hæc extra rem. Ergo ſi tu
quoq; uis nobis os obturare, ut hiſcere nõ
audeamus, profer ſimilia è ſcripturis teſti/
monia, oſtende nobis ſpiritũ in te loquen
tẽ, cui ſi tẽtemus repugnare, ſenſus omniũ
cõmunis dãnet nos, te probet. Atqui pluri
mi & hodie tibi reclamant qui uidẽtur ha/
bere ſenſum cõmunem, & orthodoxis illis
patrib⁹, totiq; populo Chriſtiano, quis ne
get fuiſſe ſenſum communem? Tibi tuisq;
probabilius eſt deeſſe ſenſum cõmunẽ, ti/
bi qui tãta maledicendi impotentia debac
charis in eos, q uel cõmunicãdi gratia do/
gmatibus tuis cõtradicũt: tuis, q addicti fa
ctioni immodico tui ſtudio probãt quic/
quid docueris, αὐτὸς ἔφα. Si prouoces ad
ſpiritũ, rurſus exigo ſignũ euidẽs. Reliqua
quæ adducis trãſilio, quando nihil faciunt
aduerſum me. Nec de Ioanne Huſſo meũ
eſt iudicare, habuit ſuos iudices apud ho/
mines, utinã inuenerit miti⁹ iudiciũ apud
deũ. Illud tantũ dicã, me minus male ſen/
ſiſſe de homine, priuſq; deguſtaſſem librũ
quẽ cõſcripſit in Pontificẽ Romanũ. Qui
cõuenit

cõuenit tam operosa maledicentia cũ spiri tu Christi? Nec hic ad rem facit, qualis fue rit Papa qui dãnauit Hussum, mihi igno tus est, & habẽt Papæ suũ iudicẽ cui stant aut cadunt. Illi mei iudices sunt, nõ ego il lorũ. Porrò, quod ais quosdã fingere sim plicitatem, quo excusatius resistãt cognitæ ueritati, dicentes: Homo sum, errare pos sum, doceri cupio, moxq; subijciũt, nõ est mihi satisfactũ, Vim facit scripturis, &c. siue hoc in me dictũ est siue in alios, ego me certe ex illorũ numero eximo q scien tes ac uolentes repugnãt cognitæ ueritati, præsertim in articulis fidei. Tu quomodo qd' facis excuses uideto. Sed nihil adhuc audio quod nodũ dissecet, quo nobis eui dẽter tuũ probes spiritũ. Verum ita mecũ pugnare uideris, quemadmodũ canis ille, ab Albaniæ rege dono missus Alexãdro, pugnauit cũ elephãto. Is enim arte circũ siliens & allatrãs hac atq; hac delassauit be luam, crebro rotatu adigens in uertiginẽ, atq; ita deiecit. Plurimos ingenio doctri naq; præstãtes, dignitate, quosdã etiã mira culis ac martyrio claros fuisse, qui tuũ do gma reijciunt, nõ negas, fateris & sanctos fuisse,

fuisse, uel donas potius & nos accipimus, iam causam facimus cætera æqualē, restat in hoc statu, ut euidētissimū, pferas argumētum, quur à uobis talibus potius stare debeam⁹, q̄ ab illis talibus, ne repetamus totā collationē. Excusas illos quod forte resipuerint ante mortē, alioquī damnādi. Id uerisimile nō est, quī tot uoluminibus cōstanter eadē senserint, sub mortē mutasse sententiā. At Bernardus moriturus dixit: Perdidi tempus, quia perdite uixi. An hoc erat canere palinodiā? Quis sanctorū hæc non dixit? Hæc uox est modestiæ, nō palinodiæ. Sacræ scripturæ tam expositam claritatem nondū probare potuisti, & de hoc mox aliquid attingemus, & si probasses, probabilius est te cæcutire q̄ illos. Si spiritū alleges, in illos pronius est charitatis iudiciū, ut largiamur nō esse certū: Si electionem potiorū, consentaneū est illos cum ecclesia quæ potiora sunt elegisse: Si sensum communem, propēsior est in illos opinio sensus cōmunis. Si respōdeas nō esse mirū uiros spirituales aliquādo iuxta carnē sensisse, totidē uerbis responsum tuū in te retorqueri poterit. Si respōdeas mundū esse

regnum

regnum Satanæ, eoq; non mirum tot tantosq; uiros tam longa seculorũ serie excæcatos, non uidisse lucem scripturæ, totum hoc multo probabilius in te retorquebitur. Nam & tu carnẽ circũfers, & in cõmuni mũdo uersaris, in quo regnat Satanas.

Nec expediunt te ex angustijs q̃ multa 70
subnectis de excæcatis in gloriã liberi arb. de his qui audiẽtes nõ audiũt, & intelligentes non intelligunt, quæ magis in te quadrãt, quàm in ecclesiæ lumina. Neq; cõuenit huic loco, quod tu tecum comparas Christum, discipulos tuos Apostolis, doctores ac principes ecclesiæ Iudæis: quodq; tuam doctrinam uocas lucem, patrum & ecclesiæ decretum tenebras. Si nos urgere uis collatiõibus, alias tibi quærere oportet, istas nõ recipimus. Multo stultius adducis hic Arianos & philosophos. Arianos iudicauit ecclesia, & eius sententiam approbas. At eadem damnauit tua dogmata, & tamen hic non grauo te autoritate ecclesiæ. Nihil nobis cum Iudæis, qui Christum agnoscimus seruatorẽ. Erraverunt & eruditissimi philosophi: quasi ego scripserim eruditos, magno ingenio p̃ditos

non

non posse cæcutire. Ex una particula ne/ctis enthymema, collige aceruum conie/cturalem, & hinc ostẽde tibi potius fiden/dum quàm illis. Quàm uero sophisticum illud: Negas esse uerum, quod dixi scriptu ram aliquoties non percipi ob imbecillita tem humani ingenij. Nihil, inquis, aptius capiendis uerbis dei imbecillitate ingenij, propter imbecilles enim & ad imbecilles Christus & uenit & mittit uerbum dei. Si imbecilles uocas, ut ego sentio rudes, & in firmos, quales erãt Galatæ, aut quales mul tos uidemus, nec humanis aptos disci pli/nis: quin à talibus potius petimus scientiã scripturarũ, quàm ab eruditis Theologis, aut quàm abs te, qui tantã scientiã tibi uin dicas? Sin appellas imbecilles modestos ac morigeros spiritui sancto, tecũ sentio, sed hãc imbecillitatẽ mirum quàm in tuis scriptis desiderẽ. Perinde quasi rem omnẽ gesseris dextro Marte, properas ad me/tam disputationis, sed antequam id pati/ar, pauca dicam de scripturarum obscurita te, quanquam super hac re satis ante dictũ arbitror. Etenim nisi doces, eas esse sole clariores, modo detur grãmatices peritia,

fateris

fateris te non posse nodum explicare de probatione tui spiritus. Hic si tibi decãt, quantopere ueteres omnes querãtur passim de scripturæ difficultatibus, quantum desudent in explicanda Genesi, quantam caligine Hieronymus uiderit in initijs & postremis Ezechielis, quoties hæreat Augustinus: respondebis non esse mirum, si in sole impingant luscioſi, & si tibi protulero illud è psalmo. Abyssus abyssum inuocat, quod Augustinus ac Hieronymus interpretantur de caligine mysticæ scripturæ, Item illud: Dies diei eructat uerbum & nox nocti indicat scientiam, quod exponunt similiter. Rursus illud ex Ezechiele de torrente cuius aquæ sic intumuerant, ut transuadari non possent. Item ex psalmo decimoseptimo. Et caligo sub pedibus eius, adducitur & hic sensus de profunditate scripturarum. Iterum in uersiculo, posuit tenebras latibulũ suũ, Hieronymus interpretatur Christi natiuitatem nobis esse obscuram, quam tu uis esse clarissimam. Item illud: tenebrosa aqua in nubibus aëris, interpretantur de

47

obſcuritate ſcripturarum. Aliaq; ſimilia teſtimonia ſi proferam, adferes mihi no/uam interpretationē, reiecta ueterū expo/ſitione, ac ſcripturā ad tuæ cauſæ cōmo/dū detorquebis. Verū illud uelim expedi/as: Si linguæ peritia ſenſusq; cōmunis ſuf ficit ad ſcripturæ perſpicuam intelligenti/am, quid Pauli tempore fuit opus prophe tis apud eos qui linguis loquebātur? Pau
1. Cor. 14 lus diuerſa facit dona, linguarum & pro/phetiæ, ac prophetiæ donum longe facit eminentius dono linguarum. Hoc euiden ter arguit, eſſe quiddam in ſcripturis recō ditum, quod non ſit cuiuis dilucidum, qui linguas teneat. Rurſus ſi uerum eſt quod tu dicis, ſi qui dei ſpiritum habet, nihil ſen/tit obſcuritatis in ſacris uolumībus, quur qui prior prophetabat iubetur tacere, ubi ſurrexerat alius propheta, cui fuerat re/uelatum? Plures habebant donum pro/phetiæ, & tamen quod huic erat dilucidum, aliīs fuit obſcurum, propterea quod non omnibus omnia largiatur ſpiritus, ſed diuidat ſingulis pro ſua uoluntate. Proinde mira eſt tua felicitas, qui profi/teris

teris nihil esse in sacris literis, quod tibi non sit clarissimum. Et post auditas prophetias, Paulus uult iudicari quæ dicta sunt: Prophetæ, inquit, duo aut tres dicant, cæteri taceant. Deinde inter dona spiritus refert & discretionem spirituum. Hæc arguunt scripturam non tam esse quibuslibet obuiam & expositam quàm tu uis uideri. Rursus ait, uidemus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autē facie ad faciem. Audis ænigma, & tu mihi prædicas clarissimam claritatem. Fide uidemus, & fidei lux est in diuinis literis. Et inibi, Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Ac mox, Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicuti cognitus sum. Prophetiam Paulus appellat scripturæ mysticæ interpretationem, eam quur fatetur imperfectam, si nihil non est clarissimum? Et si Paulus agnoscit hic imperfectum quiddam, ubi sunt, qui nunc iactant omniscientiam? Velim ut saltem hunc locum nobis reddant dilucidum, sicut cognitus sum.

An quisq; est qui sic cognoscit aut cognoscet deum, sicut cognitus est à deo? Puto hoc ipsi deo proprium esse, ut seipsum cognoscat perfecte. Legebat eunuchus Esaiam, haud dubie peritus linguæ, & tamen sensum latentem non intelligebat. Iam epistolas, opinor, Pauli nũeras inter scripturas sacras. Atqui de his sic pronunciat Petrus: Charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit uobis, sicut & in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu. &c. Respõdebis: erant difficilia rudibus. At tu nihil requiris nisi peritiam grammatices. Si dixeris illis defuisse spiritũ, quæstio redit in orbem: Siquidem hoc pollicitus es te probaturũ nobis tuũ spũm. Sed hinc quoq; facile elaberis, si modo probaris qd' assumis, dices nos obstinata malicia oppugnare cognitã ueritatẽ, quemadmodum faciebant pharisæi. Quis autem cõprehendat eum, cui tot sunt parati cuniculi per quos effugiat? Age ueniam ad eos quibus tu tribuis spiritũ, quem, ut scribis, hauserũt ex tuis libris, unde tanta in horum scriptis dissensio? Si idem spi

2. Petri. 3.

ritus

ritus agit omnes, quum tractent eandem scripturam, non potest esse tam perspicua claritas, ut sufficiat linguæ peritia, & sensus communis. Sed dices Zuinglium & Oecolampadiũ amisisse spiritum, postea q̃ in te cœperunt scribere: Philippus Melanchthon nónne in suis Commentariolis aliquando cõtanter loquitur, & suspendit sententiam? Atqui hoc negas esse fas in sacris literis, in quibus perspicua ueritas est asserenda fortiter. Oecolampadius nõ dum abs te dissentiens, non negat obscuritatem esse in Esaia, sed sat habet si admat desperationem pio seduloq; Lectori, & in præfatione adeo non profitetur se nihil nõ explicuisse, ut fateatur se frustra conaturum fuisse, ni commentarijs Hebræorum fuisset adiutus. Interim aliquanto reuerentius loquens de Hieronymo quàm tu, qui talem uirum blasphemum & sacrilegum facis in hoc tuo libro, numeris omnibus absoluto. An Pomeranꝰ sic abs te laudatus in enarrandis psalmis nõ alicubi sceptícus est, & suspenso gradu per aristas, ut ais, incedit? Verum de alijs fortassis inuenies qd̃ tergiuerseris, urgebo te tuis ipsius

dictis, nũc iniuria est ac blasphemia in scri/
pturam sacrã, si quis illi tribuat aliquid ob
scuritatis, hoc paradoxũ uide quomõ con
ueniat cũ tua præfatiõe in psalmos. Sic ibi
loqueris: Psalteriũ profiteor. &c. Verũ ita
profiteor, ut nolim ab ullo id de me præsu/
mi quod nullus adhuc præstare potuit, san
ctissimorũ & doctissimorũ, id est, psalteriũ
in omnibus suo legitimo sensu intelligere
& docere. Sat est aliquot, & eosdẽ ex par/
te intellexisse. Multa sibi reseruat spiritus;
quo nos semp discipulos habeat, multa so/
lum ostendit ut allíciat, multa tradit ut affi
ciat, & ut beatus Augustinus præclare di/
xit: Nullus unquam ita loquutus est, ut ab
omnibus in omnibus intelligeret, multo ma/
gis ipse spũs sanctus, solus omniũ suorũ uer
borũ intelligentiã habet. Quocirca inge/
nue me confiteri optet, me ignorare legiti/
mã habeã nec ne intelligẽtiã psalmorũ. &c
Rursus aliquanto inferius: Quid ergo reli
quum, nisi ut mutuũ iuuemus, labentibus,
tanquã uel ipsi lapsi uel lapsuri ignoscamus.
Rursus inibi: Scio esse impudentissimæ te
meritatis eũ qui audeat profiteri, unũ libri
scripturæ à se in oĩbus partibus intellectũ.

Quin

Quin quis audeat præsumere unũ psalmũ rotũde ab illo intellectũ? Immane quantũ dissonat hæc oratio Luthere, à paradoxo, quo tanta asseueratione doces in hoc libello, de mira claritate scripturæ, quæ nisi cõcedatur, omnia uertentur in caligine, neq; quicq; erit in rebus humanis certi. Quis credat esse eundem hominem qui hæc scribit enarraturus psalmos, & qui nunc prouocat uniuersos ut uel unũ locũ proferant qui tibi sit obscurus. Quorsum uero nunc attinet, è tuis cõmentarijs decerpere locos ubi profiteris te destitutũ ab interpretibus inter ipsos uariãtibus, animi tui somnium sequi. Rursus ubi fateris te prorsus nõ intelligere, quomodo uersus cum præcedente cohæreat, ac tuam opinionem deliratione uocas. Hoc in psalmo 17. inibi dicis, Ecclesiæ doctrinã esse supra captũ hũanũ, & hic sufficit grãmatices peritia. In psal. 19 hunc in modũ loqueris: Exposuimus hũc psalmum pro exemplo fidei de rege quocunq;, nec dum certum an legitimum sensum attigerim: mox interpretatiõis tuæ iudicium reijcis in lectorem. Iterum in 20. fateris te incertum de solo ne Christo, an de

quouis rege debeat intelligi, & mihi obij/cis Scepticã Theologiã, qui non ausim de/pplexis difficultatibus scholasticarũ quæ/stionũ pronũciare. Vbi tum erat ille Stoi/cus assertor? ubi ille Omniscius? Mihi di/cis, nõ sic suspense loquitur, nisi Lucianus & Epicurus, & tu in opere maxime sacro eodem modo loquens, ignoscis tibi. In ca/ce huius libri tui dicis: penes nullum uolo esse iudicium, sed omnibus suadeo ut præ/stent obsequium, & in psalmo iudiciũ de/fers lectori. Quomodo in his tibi constas qui me Proteum facis? An tum temporis nondum habebas spiritum? Non dices, o/pinor. Vtinam autem in ea modestia per/seueraſſes. Ibi ueteres Orthodoxos, san/ctissimos et eruditissimos patres appellas, hic me rides, qui tribuam illis sanctimo/niam, ipse cœcutientiam, ignorantiam, immo blasphemiam & sacrilegium impin gens: nec aliter excusas eos potuisse serua/ri, quàm si uel secus senserunt atque scripse runt, uel erroris pœnituit ante mortem. Porrò quum internam claritatem sic re/quiras ab omnibus Christianis, ut sine hac nõ facias illis ullam spem salutis, quid

aliud

aliud censebimus, nisi illos omnes periisse, qui tam necessarium articulum fidei nō di cam ignorarint sed impugnarint, profli gantes necessitatem, ac liberum arbitrium profitentes. Ego toties uocor blasphemus qui dubitem ac disputem de tuo dogma te, & obscurum putas, quid de illis ea dem sententia pronuncies? Et hic rursus nouum Paradoxon. Qui spiritum habet ei nihil obscurum, qui non habet, ne iota quidem unum intelligit. Nil medium est. Quisquis igitur profitetur sese dubitare ali cubi in scripturis, aut spiritum habet, & mentitur esse obscuritatem, quum nulla sit, aut nō habet, & ne iota quidem unum intelligit. Tertullianus insignis ecclesiæ doctor, postea in Montani dogma pro lapsus, discessit ab ecclesiæ communione. An is amisso spiritu, ne iota quidem intel ligebat. Sed interpretaris non intelligit, id est, nō sentit, nō afficitur. At nos agebamus de certitudine doctrinæ non de igno to hominis affectu, de quo fateris nemi nem certo pronunciare posse, præter unū deum. Etenim quum iuxta Paulum sint spiritus impostores, & angelus Satanæ

ſeſe tranſfigurat in angelum lucis, falli poteſt & is, qui ſe credit agi bono ſpiritu. Quod ſi totam intelligentiam diuinæ ſcripturæ tribuis diuino ſpiritui, quur excipis ſolam imperitiam grammatices? An in re tanti momenti ſpiritus patietur grammaticam obſtare ſaluti hominum? Qui non grauatur impartiri tantas diuitias æternæ ſapientiæ, num grauabitur impartiri grammaticam & ſenſum communem? Blaſphemus eſt in deum, qui uel tãtillum tribuit libero arbitrio, & tu pius es, qui tantum tribuis grammaticæ, ut ſola tenebras inducat clariſſimæ luci ſcripturarum? Qui querũtur eſſe tenebras in ſcripturis, haud quaquam negant eſſe clariſſimas ipſi ſpiritui, qui ſcripturarum eſt autor: ſed has tenebras imputãt imbecillitati naturæ humanæ, quod quum apertiſſime profiteatis in præfatione tua, quam modo citaui, hic ſq; tiſſime negas, affirmans nihil eſſe capacius diuinæ ſcripturæ, quàm imbecillitatem humanam. Cæterũ ut urgeamus hoc quod agebatur, doce quibus argumẽtis nobis cõſtare poſſit, te ſpiritum habere magiſtrum, nec falli in enarranda ſcriptura,

ra, quum in hac hallucinati sint omnes ec/
clesiæ doctores. Fateris inesse nonihil ob/
scuritatis ex imperitia linguarum. Hic igi/
tur quum plures inter se dissentiunt, quo/
rum unusquisque sibi uindicat linguarum
peritiam, quomodo mihi constabit, quis
cæcutiat in lingua quis nō? Nam hinc (ut
ais) pēdet interpretationis certitudo. Nec
omnino negas aliquid obscuritatis oriri
ex tropis, quos tametsi doces non teme/
re admittendos in enarrationibus, tamen
uelis nolis frequenter occurrunt, in pro/
phetis, in parabolis, in ænigmatibus.
Nec mihi placent affectati tropi, præser/
tim qui subuertunt sensum historicum.
uerum si tropologias excludas à sacris
libris, perit bona pars & iucunditatis,
& utilitatis arcanæ scripturæ. Ad hæc, si
fateris ex grammatices imperitia, nasci
caliginem, fateberis simul & ex transla/
tionibus, & ex deprauatis exemplari/
bus oriri tenebras. Queritur hoc & Oe/
colampadius in Esaia. Ergo quum alius
dicet esse tropum, alius negabit, aut si fa/
tetur uterq; tropum esse, sed in interpre/

taione

tatione tropi dissident, unde mihi constabit, quis illorum attingat scopum? Ex collatione locorum? Habet utraq; pars quæ conferat: Adhuc hæreo dubius. Similiter quum audio plures inter sese dissidentes, quorũ quisq; contẽdit suum exemplar uacare mẽdis, quæ res mihi adimet ambiguitatem? Iam quis audebit affirmare: aut si quis affirmet, quis crediturus est, ex locis inter se pugnantibus non frequenter oriri magnam caliginẽ? Quid simplicius Euãgelica historia? Et tñ à quot qualibusq; uiris hic sudatum est, ut quæ dissident redigantur in concordiam? Adnisus est summis uiribus Augustinus, nec effecit quod uoluit: saltem hoc officium nobis præsta, quo minus tibi diffidamus. Multis obstat ingenij tarditas, quo minus assequantur quod docent sacræ literæ, multis oscitantia, multis animus addictus humanis affectibus. Nam contentiosi torquent scripturam ad sua dogmata, quũ cõtra fieri oportuerit. Deniq; spiritus non omnibus patefacit omnia. Totidem igitur modis ambigemus de interprete, & quicquid malorũ exaggerasti aduersus eos q̃ putant in scripturis

pturis esse nõnihil obscuritatis, qcquid cõ/uiciorũ in hos congessisti regeretur in te, qui nõ potes effugere quin fatearis, aliquo pacto caliginem esse in diuinis libris. Sed tibi nulla est caligo. Ponamus esse uerum quod dicis, sed quomodo nobis isthuc fa/cies perspicuum? Nam hoc probandũ su/sceperas, confessus te nihil agere aduersus meam quæstionẽ, nisi dilucide probasses. Cæterum quum omnibus tentatis, id non possis, ueluti Proteus uinculis tenacibus astrictus, redis in natiuam formam, & no/bis inuidiam moues, quod scripturam fa/ciamus obscuram: perinde quasi negemus in illa quicq̃ esse lucis. In multis locis tene/bras esse dixi, sed quas spiritus aperiri uelit quantum nobis satis est ad salutem. Nam quædam abstrusa seruat futuro seculo. Si tu colligis hinc nihil certo probari per scri/pturam, dic mihi, quomodo tot seculis or/thodoxi patres erudierunt populum Chri/stianum, quomodo propulerunt hæreses ab ecclesia, an per scripturas ambiguas & nõ intellectas? Tandẽ satanã in crimẽ uo/cas, cuius opera fit, ut tam paucis fit diluci/da scriptura, qui si dormiret, uno sermone

dei

dei semel audito, totus mundus conuer/teretur.

71 Hic quum prorsus hæreas in uado, tamen ueluti re bene gesta, minitaris te meis me laqueis irretiturũ, & occurris syllogismo utrinq; cornuto, sic obtorto, ut nullũ sit effugium. Ex uerbis, inquis, tuis iustificaberis, & ex uerbis tuis condemnaberis. Dicis scripturam hic nõ esse dilucidã. Quod si uerum non est, quur tu in Diatriba suspendis sententiam, si uerum est, quid agũt orthodoxi, quorum ingenium, eruditionem, sanctimoniã, miracula, martyria, dignitatem, uetustatem, multitudinẽ iactas, qui ex ambigua scriptura asseruerunt liberum arbitrium? Quò me uertam, adeo cõstrictus hinc atq; hinc obuijs cornib⁹? Scilicet alterum tui syllogismi cornu præcidã, deinde cũ altero mihi res erit. Mea Diatriba non dicit scripturas in hac materia esse obscuras. Sic habent illius uerba: Verũ hic de scripturis non est controuersia, de sensu scripturæ pugna est: In cuius interpretatione &c. Audis ne pugnam esse dico non obscuritatem. An ideo scripturæ, quibus conuictus est Arius fuerũt obscuræ, quod eas

eas oppugnarit? Et si concessissem in ea quæstione scripturam fuisse obscuram, quod non facio, sic concessissem quemadmodum in scholis argumentandi causa, multa donantur aduersarijs. Eam concessionem si uelis arripere, necesse est ut fatearis utriusque partis interpretationes esse ancipites. Dices, ergo si dilucidæ sunt in hac parte, quibus usi sunt ueteres ad asserendum liberum arbitrium, quur tibi placuit Diatribæ titulus, quur profiteris inquisitorem non assertorem, quur in fine dicis, contuli, penes alios esto iudicium? Respondeo, quur qui in scholis disputant, altero probante quod habet scriptura, altero per scripturas alias ac rationes impugnante, senioribus aut præsidenti ut uocant deferunt iudicium? Potest enim fieri, ut liberum arbitrium recte sit assertum à ueteribus è sacris & clarissimis scripturis, quum ego aduersus tuorum argumentorum aciem, parum dextre defendam. Et iam ante reddidi consilij mei rationem, ut experirer, an tu posses absque conuicijs disputare, & ne rebus exulceratis, oleum quod aiunt, adderem camino.

camino. & hanc meam ciuilitatem toties mihi impingis in os, quã probare magis & imitari debueras. Si te delectat asser/tio, quid opus erat assertore me, de quo et olim pronunciauit ecclesia, & nuper suã sententiam confirmauit? Habebãt igitur, inquis, dilucidã scripturã, fateor, quantũ satis erat ad discutiendam ambiguitatem de libero arbitrio. Quid tum postea? Quur tu igitur, inquis, facis scripturã hac in parte obscuram. Non hoc fecit mea diatriba, sed tu cõminiscẽris, ut modo declara ui. Si contendis nihil prorsus obscuritatis esse in sacris litteris, ne mecũ agas, sed cũ uniuersis orthodoxis, quorum nullus est, qui idem non prædicet. Cæterũ quoties diatriba meminit obscuritatis in hac ma/teria, aut uestro nomine loquit, aut conce dit argumentãdi gratia, quod poterat nõ donare. Quod genus est illud: Hic si ne/ges hac in parte dilucidam esse scripturã, in qua tot summi uiri caligarint &c. An putas hoc sub mea pſona dici, in qua tot summi uiri caligarint: ista uestra uox est, quam arripio contra uos, qui uestram in/

terpretati/

terpretationem uultis haberi pro oracu/
lo. Simile est illud, si tam dilucida est quur
tot seculis uiri tam excellentes hic cæcuti
erunt, idque in re tãti momenti. Hæc uer
ba non damnant ueteres cæcutientiæ, sed
urgent uos, ut aut fateamini illos uidisse
uerum, aut ne postuletis uestram inter/
pretationem haberi nobis pro cœlesti o/
raculo. Rursus quum aio, si nullos, quum
& hodie tot obscuritates torqueant do/
ctos, nulla erit interpretatio certa. Hæc ar
gumentatio quid aliud agit, quàm ut pati
aris & tuam interpretationem eodem iu/
re reijci, quo tu reijcis omnium?

Proinde uide quàm atrociter, sed extra
causam illa tibi dicta sint. Denique quæ le
uitas & temeritas animi sanguinem fun/
dere pro re incerta & obscura? Hoc enim
nõ martyrum Christi sed dæmonum est.
Vides hoc cornu præcisũ? Vbi uero erat
tua mens, quũ scriberes, hoc non est mar
tyrum sed dæmonum? An dæmones ha/
bent sanguinem quem fundant? Deinde
quis dixit sanctissimos uiros pro libero ar
bitrio fudisse sanguinẽ? Dices, pro scriptu

ra sacra fuderunt, quam tu facis obscura. Rursus ita loqueris, quasi dixerim totam obscuram esse, aut si mihi ac tibi sit obscura, fuerit simul illis obscura qui definierunt de libero arbitrio. Cyprianus fudit sanguinem suum, demus fudisse pro scriptura. Nihil igitur usquàm fuit obscurũ Cypriano in tota scriptura? Finge Augustinũ occisum, quũ à Donatistis essent illi structæ insidiæ, relatus fuisset iter martyres, an absurdum putas si quid illi fuisset obscurum? Et huic tam friuolo fundamento nituntur ea quæ dicis in fine capitis. Hoc est aliud nihil, quàm illos facere imperitissimos cognoscendo, & stultissimos asserendo.

Discussus est ille κεφάτινος, sed me miserum occurrit alius. Si illos, inquis, recte sensisse credis, quur non imitaris? Si non credis, quur iactas tanta bucca, tanta copia. &c? Credo illos recte sensisse, qui asseruerunt liberum arbitrium, quemadmodum asserit ecclesia. Quur igitur, inquis, tu non asseris sed disputas? An quisquis disputat, anceps est? Non dispu-

to

to ut dubius, sed ut te nostræ assertio-
nis inuasorem confutaturus. Nihilo ma-
gis ad rem faciunt quæ insulcis: Iam &
tu pone ob oculos & tecum expende
utrum plus tribuendum esse iudices, tot
eruditorum, tot orthodoxorum, tot san-
ctorum, tot martyrum, tot ueterum ac
recentium Theologorum, tot academia-
rum, tot conciliorum, tot episcoporum &
summorum pontificum præiudicijs qui
scripturas dilucidas esse senserunt, & id
tum scriptis tum sanguine cõfirmarunt:
an tuo unius priuato iudicio. qui negas
scripturas esse dilucidas, qui forte nec un-
quam lachrymam uel suspirium pro do-
ctrina Christi emisisti. Omitto, quod tuo
more iudicas, quid lacrymarum aut su-
spiriorum ego fundam.

Quid hic agis Luthere? ueteribus fuis-
se scripturam dilucidam, unde asserierũt
liberum arbitrium? Qua tandem igitur
fronte blasphemiam uocas, quod illi defi-
nierunt ex dilucida scriptura? & toties mi
hi recinit hoc mendaciũ, quod hic scriptu
ras facia obscuras. Aio interpretationes

uariare, & hoc in contentionem uocabã, utri potius esset assentiendum, ueterũ ne probatæ tot seculis, an tuæ nup exortæ? Imò hoc illic ago pro uiribus ut persuadeam, ecclesiæ doctores nõ errasse in asserẽdo libero arbitrio, ac te potius cæcutire. Ita loquor: Hic si negas hac in parte esse dilucidam scripturã, in qua tot summi uiri caligarint, circulus ad caput redierit. Vides hæc sub aliena persona dici, in qua tot summi uiri caligarint. Hæc uestra uox est, non mea: & si uerum est quod dicitis, aut fuit illis obscura scriptura, aut impie restiterũt spiritui sancto. Neq; quicquam periculi sit, si quis dicat & in hoc argumẽto fuisse illis scripturam alicubi obscurã, at nihilo minus rectam ac certam esse assertionem. Siquidem in concilijs quod alijs obscurum est, alijs aperit spiritus, sic ut ex collatione singulorũ nihil resideat obscurum, dum suã quisque apocalypsim adfert. Quod si trahis nos ad uniuersam scripturã, fateor illic quædam obscura mihi meiq; similibus. Obijcies ilico tantas turmas summorũ uirorũ, quorũ iudicio plus tribuẽ

tribuendū est, q̄ meo unius priuato. Quid ego audio? meum unius priuatū iudiciū est, qd nemo laudatissimorū uirorū quos per ironiā recenses, fassus nō est? Quis enim illorū in enarrandis arcanis uoluminibus nō queritur de obscuritate scripturæ: non quod illam accusent, ut tu calūniaris, sed deplorent humani ingenij tarditatem, non quod desperent, sed ut gratiam illius implorēt, qui solus quibus uult, & q̄n uult, & quātum uult claudit, aperitq̄. Idē quum ipse toties fatearis in commētarijs tuis, quur appellas meum unius priuatū iudiciū, & illis me facis aduersarium, qui mecum faciunt. Tu facis illis scripturam obscuram qui fortiter illorum interpretatiōes reijcis. Id ni feciſſes, nō esset pugna. Festiuiter uero, quod cōparationem quate cum tot ueteribus componebā deuoluis in me. Ego nō postulo, ut reiectis oīm illorum sententijs in re tanti momenti, mihi uni fides habeat, id quod tu non in hoc tantum dogmate flagitas atq̄ etiam exigis ueluti tuo iure, mínitans omnes delendos ut lutum platearum qui tibi resistunt

prædicanti uerbum dei. Par est igitur, ut certis argumentis ostendas, quur tua uni/us sententia debeat nobis esse potior tot ac talium uirorum iudicio, ne toties re/petam omnes circunstantias. Si certam habebas opinionem, inquis, quid sibi uult diatriba & collationis uocabulum? quur suspensa sententia disputas in utranque, quid pro, quid contra. Si hoc arguit an/cipitem animum, uocentur in ius omnes scholastici. Thomas quærit an Euchari/stia sit sacramentum ecclesiæ, & adfert in utranque partem argumenta, num ideo dubius est de re quam disputat? Fecit idem Hieronymus aduersus Luciferia nos, Augustinus aduersus Manichæos, an statim dubius erat illis de quo disputa/bat? Quomodo tandem refellere poteram argumenta tua nisi recensuissem?

An non uides eiusmodi collationes fre/quenter & apud ueteres fuisse, si forte res sine tumultu componi posset. Titu/li ciuilitas opposita est isti ingenio tam iri tabili, opposita est quibusdā plus satis ad seditionem propēsis. Deinde quoties phi

losophi

losophi pro sua quisq; secta inter se digla/
diabantur, nam has diatribas appellabãt,
erant omnes suspensa sententia, an pot/
us suam quisque sententiam uolebat esse
inuictam? Vides ut nihil odiosius in me
criminaris, quàm quod disputator, quàm
criminator esse malui: & hic conor, ut ais,
te obruere diluuio quodam orationis, sed
res in diuersum exijt, ego inuoluor undis,
tua arca in sublimi fertur secura: Imò tua
scapha hic hæret ĩ Syrtibus, nec explicas
quod promiseras, quum nullum non mo
ueris lapidem. Et tamen perinde qua/
si dextro Marte rem gesseris, adornas tri/
umphum.

Cornuto, inquis, syllogismo te teneo. 72
Aut falsum est, quod dicis illos fuisse præ
ditos admirabili peritia scripturarum, tũ
uita & martyrio, aut falsum est, quod di/
cis scripturas non esse dilucidas. Io pæan,
Io triumphe. An sit falsum, in scripturis
esse aliquid caliginis, iam discussum est.
Illud sine cõtrouersia falsum est, quod ais
me põdicare ueteres ex obscuris scripturis
asseruisse liberũ arbitriũ: Sed fingo mihi

uelut imperito non esse perspicuũ utri rectius interpretati sint scripturas, illi tot ac tales, an tu cum paucis: & per hanc fictionẽ exigo abs te certas probationes, quur ab illis deficiẽtes, debeamus in tuã sententiã ire pedibus. Crebro ni fallor uidisti in scholis disputãdi gratia cõcedi aduersario quæ uera non sunt. An si quis in disputatione fingeret se esse Tarquiniũ, te Apollinẽ, num urgeres hominẽ serio concessis? Addis impudentẽ hyperbolẽ, me toto libello diatribæ nihil aliud agere, q̃ ut pſua deam scripturam non esse dilucidã. Quid autem attinet in refellenda manifesta uanitate operam sumere? Nec his contentus addis aliud commẽtum impudentius. Negas me serio tribuisse sanctissimis uiris peritiam scripturarum, tãtum ut rudi uulgo fucum facerẽ, Luthero autẽ negociũ facesserem, ut causam eius inanibus uerbis grauarẽ odio & contẽptu. Si hoc spectassem quod fingis, non ita moderatus fuissem stilũ, non tãta circũspectatione cauissem, ne quid unguiũ aut dentis esset in diatriba, non sic aduigilassem ut causam per se odiosam

sam agerē non odiosē. Si in gratiā principū ædidissem diatribā, nō poterā illis magis gratificari q̄ si totis eloquētiæ uiribus in te fuissem debacchatus. Nūc adeo non odiosē scripsi, ut me nōnullis suspectū reddiderit mea modestia, et tamen mihi non erat obscurū, quàm amanter de me iā prídem & senseris & scripseris. Sed mihi certum est, in his quæ sunt fidei nihil tribuere priuatis affectibus. An tui contēptū interpretaris, quod te cum tot ecclesiæ lumínibus, cum cōciliis generalibus, cum oīnibus academijs cōfero? Quid igitur dices de illis qui te libris æditis cum longe alijs comparant? Et in illos mutus, de mea ciuilitate quereris. Ego latine scribens, uulgo rudi fucum facio, tu qui hanc tuam dispútationem curas uertendā in linguam germanicam, ut apud agricolas, nautas et cerdones traducas Erasmum, apud quos mutus est, credís homines doctos latere quid agas? Ad seditionem spectas, quam uides hactenus ex tuis germanice scriptis libellis toties exortam esse. Sic nimirum fecerunt apostoli. Ego tecum disputaui iu-

ſice ſenatu doctorum hominum, tu cau-
ſam ad imperitam plebeculam transfers,
& apud fabros, coriarios & agricolas me
criminaris, qui tibi fauent, me non noue-
runt: te criminantem intelligunt, me re-
ſpondentem non intelligunt.

Quàm ſpecioſam petis uictoriam.
Iam quod ſubijcis, non ſatis intelligo. Sic
enim ſcribis: Ego uero, neutrum uerum,
ſed utrũq; falſum dico. Primũ ſcripturas
eſſe lucidiſſimas, deinde illos quatenus li-
berum arbitrium aſſerũt eſſe imperitiſſi-
mos ſacrarum litterarum, tum illud neq;
uita neque morte, ſolum uero ſtilo, ſed
peregrinante animo aſſeruiſſe. Hactenus
contendiſti ſcripturas eſſe lucidiſſimas,
& id nunc dicis eſſe falſum. Deinde ſem-
per aſſeruiſti ueteres ex ſcripturis perpe-
ram intellectis probaſſe liberum arbitri-
um, & nunc hoc quoque dicis eſſe fal-
ſum. His duobus annectis & tertium, ui-
delicet falſum, quod hactenus uoluiſti ui-
deri ueriſſimum. Sed faceſſat uerborum
calumnia, quid ſcripſeris in propatulo eſt,
quid ſentias ſatis coniecto.

Quanquàm

Quanquàm hic tu nullũ faceres calũniandi finem si quid effutissem eiusmodi. Pulchre uero hic excusas ueteres orthodoxos, qui secus senserint, uixerint ac mortui sint, quàm scripserunt de libero arbitrio. Ais solum stilum illorum effudisse blasphemiam sed animo peregrinante. Sic excusantur qui per phreneſim peccant. Nec aliter excusas ecclesiam quæ illorum sententiam comprobauit, nec aliter academias, nisi quod dum asserunt liberum arbitrium, mens domi non sit, sed peregrinatur apud Sogdianos. Itá ne qui libris hoc professis asserunt liberum arbitrium, qui toties insulciunt in suis commentarijs quod docuerunt, qui pugnant aduersus eos, qui dissentiũt, ueriſimile est solo stilo lapsos, alienata mente. Diuus Augustinus si sine mente asseruit liberum arbitrium, quur in libris retractationũ saltem non resipiscit? Et illic asserit, quod asseruit, & huius sententiæ tanto grauior est autoritas, quod seipsum reprehendit in quibusdã, in qbus plus tribuerat libero arbitrio q̃ oportuit, ualde cõfirmat quod

relinquit

relinquit, qui sui iudex, carpit quod redũ/dabat. An ideo mors uitaq; discrepat à stilo, quod suis meritis diffisi totam salu/tem asscribebant dei misericordiæ? Idem nos facimus qui asserimus liberum arbi/trium. Quàm commoda rima tibi hic reperta est qua possis elabi, quoties au/toritate ueterum urgeberis.

Non hoc senserunt, sed aberrante sti/lo, & animo peregrinante talia prodide/runt. Nec uides interim istud tuũ cõmen/tũ in te posse retorqueri, non solum à no/bis, uerũ etiã à tuis. Proinde qñ tu Luthe/re dum elabi non potes è laqueo quæstio nis, multũ fumũ oculis nostris offudisti, non tã Proteũ agẽs q̃ Cacũ: ego tibi rur/sus negocij summã atq; epilogũ ponã ob/oculos. In diatriba nego me uelle pugna re tecũ, autoritate ueterum orthodoxoꝝ, aut præiudicio Ecclesiæ, quæ iam pridem tuũ dogma damnauit, non quod existimẽ horũ sententiam nihil habere ponderis, sed quod his armis nihil agerem apud te: ue/rum si contingeret, ut scripturarũ testimo/nijs pares uideremur, & æqualitas suspẽ/deret

deret ſententiam utroq; nutantem, roga/ ui utrum æquum uideretur, ut hoc rerum ſtatu, certe tantillum haberet momenti ue terum autoritas unà cum eccleſiæ decre/ to, ut procliuiores ſimus in illorũ ſententi am quàm in tuam. Nec hunc in modum loquor, quod uere noſtra fluctuet ſenten/ tia, ſed ita fingo, quo tibi quoque probe/ tur æquitas noſtra, nec queri poſſis ini/ quis legibus tibi uictoriam extortam. Po/ ne igitur in medio liberum arbitrium, an/ nis iam mille trecentis & amplius bona fi de poſſeſſum ab eccleſia catholica. Pone te ex una parte ſcripturarum præſidijs op pugnantem, me ijſdem præſidijs defen/ dentem. Adde ſpectatores mei ſimiles, quibus omnia noſtra uideãtur paria, quũ tu ſimul & certator, & certaminis arbiter atque agonothetes eſſe poſtules, quis uel tibi uel mihi addicet brabeum, & cuius ar bitrio liberum arbitriũ ſeruabitur aut iu/ gulabitur? Quoties in iudicijs uariant u/ trinq; pares ſentẽtiæ, perpẽdi ſolẽt circũ/ ſtantiæ, nec iã numerantur ſententiæ ſed expenduntur. Aliquid fauoris tribuitur reo,

reo, defertur nonnihil ætati, dignitati & autoritati partis alterius. Itidem ego pro/ponebã, an nutãte sententia deberẽt aliqd habere momẽti, utriusq; partis circũstãti/æ. Statuimus te ad dextrã, cũ Manichæo Ioãne Hussо & Vuycleuo, quos oẽs per/cussit ecclesiæ fulmen. Dei iudicia nobis sũt incognita, adde si uoles Laurẽtiũ Val lã, quanq̃ ille nec ex professo tuetur tuam sententiam, sed uictus difficultate cedit: et quãtum Laurentio tribuas nescio, primũ homini rhetorico, deinde quæstionẽ præ scientiæ, nõ ex diuinis literis, sed humanis rationibus, ac prophanis exẽplis tractãti. Nã quod ais Augustinũ totũ pro te stare, satis mirari nõ possum, quũ ille in libris re tractãtionũ excuset quædã in tribus illis li bris, quos orsus romæ, Cartagine absoluit iã presbyter, qđ in his plus satis uideatur tribuere libero arbitrio, nec iustã habere rationẽ gratiæ, pseuerãs tñ in sentẽtia, qđ esset aliquid liberũ arbitriũ. Quid plura? Si Augustinus tecũ sensit, quur iã senex li brũ opposuit ijs q diuerso rapiebant erro re, quibusdã in totũ negãtibus liberũ arbi/

trium

triũ, qd' audirent tantũ tribui gratiæ, alijs minus iusto gratiæ tribuẽtibus quũ audirẽt asseri liberũ arbitriũ. Sic habet ĩ primo capite, caput secundũ sic ordit̃. Reuelauit aũt nobis ꝑ scripturas sanctas, esse in hoĩe liberũ uolũtatis arbitriũ. Audis asseri liberũ arbitriũ, nõ ex sõnijs philosophorũ, sed ex autoritate sacraꝝ scripturaꝝ. et alicubi παλινῳδεῖ, qd' Origenẽ ni fallor sequut⁹ scripsit, nostrũ esse uelle bona, cæterũ ꝑficere nõ posse sine p̃sidio gratiæ, nõ tñ abnegat liberũ arbitriũ. Iã qd' alicubi dixit, deũ operari in nobis & bona & mala, quale sit suo loco declarabimus. Nũc aliud agitur. Quare patiemur tibi adstare Laurẽtiũ, Ioãnẽ Hus et Vuycleuũ, sed primũ uehemẽter ob hãc snĩam ꝑiclitatũ, duos eccl'iæ iudicio dãnatos, alterũ etiã exustũ in Cõstãtiẽsi cõcilio. Hic mihi ne ꝓtinus reclama: Satanæ fuisse snĩam nõ eccl'iæ, nũc tantũ historiam referimus. Assistãt & amici tui, quorũ tñ suffragio minus erit põderis, uel qd' in tua dogmata iurarũt, uel qd' nec ĩter ipsos, nec tecũ cõstanter idẽ sapiũt. Et scis reijci testem domesticũ, nec ignoras testiũ

fidem

fidem non alia re magis eleuari, quàm te/ stimoniorũ inconstantia: Hic est tuus cho rus. Ex aduersa parte stãt illa præclara do mus dei lumina, in quibus tot excellentes ingenio uiri, sic exercitati in diuina philo/ sophia, tum Græci quibus prima semper fuit autoritas in tractandis sacris literis, tũ Latini Græcorum æmuli, & in his tot ui/ tæ sanctimonia commendati, nonnulli eti am martyrio sanguinis clari, quorum me/ moria toti populo Christiano semper fu/ it in hũc usq; diẽ sacrosancta: tot episcopi tot summi pontifices, quorum sentẽtia tã longa seculorum serie recepta comproba taq; fuit, tandem & publico ecclesiæ de/ creto confirmata. Adde his consentiẽs o/ mnium academiarum iudicium, adde re/ nouatam Theologorum & ecclesiæ cen/ suram. Denicq; adde tam longam tempo/ ris præscriptionem. Nonne signis euidẽ tissimis opus est, quo nobis persuadeas, ut tecum profiteamur, tam uenerandum patrum chorũ, unà cum ecclesiæ proceri/ bus penitus cæcutisse in sacris literis, spiri tu satanæ fuisse actos, aut ut clemẽtissime

dicatur

dicatur, mente alienata tuliſſe ſententiam, hæreticam, impiam, blaſphemam, aduerſus clariſſimam ſcripturam, et in ſummam humani generis perniciem, utq; deſciſcentes à patribus noſtris, quorum doctrina, legibus & autoritate hactenus aliti, rectiq; ſumus, ſpreta matre, cuius lacte nutriti ſumus, deſerta tanta populi Chriſtiani ſodalitate, cui tot annis aſſueuimus, ſummo rerum uitæ & animarum diſcrimine cõcedamus in tuum fœdus, in quo præter homines eosq; paucos, & inter ſe diſſidentes acresq; aſſertiones nihil uidemus. Dignitate, autoritate, uetuſtate, ingenio, doctrinâ que uideris illis ultro cedere. Miracula uocas in dubium, ſed hæc tamen publica cõſtansq; populi chriſtiani opinio iam olim cõmendat, quũ ne ſuſpicio quidem aut rumor ſimilis ſit de uobis. Nam quod cauillaris neminem illorum per liberum arbitriũ ædidiſſe miracula, ad id iam reſpõdi. Rurſus in dubium uocas ſanctimoniam uitæ, pro illis tamen ſtat opinio. Nec mihi libet hanc partem urgere. Mouet nos illorũ autoritas, mouet quam in te tuisq; uidemus aſſeuerandi cõſtantia (ſic enim finxeram)

sed ab Ecclesia nostra recedere non aude/
mus, nostramq; salutem tuæ fidei cõmitte/
re. Quod signũ ostendis ut tibi potius cre
damus q; illis? Iam ut donemus tibi esse
spiritũ quem fortiter arrogas, tibi uni scri/
pturas omnes esse lucidissimas, hoc ut ue/
rum sit, tibi uerum est: nobis, ut ipse fateris
nihil prodest: promittebas itaq; claritatem
externam scripturæ diuinæ, quæ persuade
ret omnibus tuam interpretationem esse
uerissimam, & aliorum omnium, quamli/
bet multorum, magnorum, quamuis san/
ctorum aut eruditorum, esse falsam, cæ/
cam & pestiferam, quam quisquis sequa/
tur rectà properat ad inferos. Nemo sa/
nus credidit Donatistis, magna asseuera/
tione suadentibus, apud reliquas Ecclesias
omnes periisse baptismi gratiam, nec usquã
mansisse incorruptam, nisi in ipsorum Ec/
clesia. Et tu uis nos statim credere, tot secu
lis per satanam fuisse uelatum Euangeliũ,
quod nũc per te patefit, nec apud ullos es/
se synceram scripturarum interpretationẽ,
præterquàm Vuittembergæ. In re tam in/
credibili, tamq; periculosa, non sat fuerit,
assertionibus & uulgaribus argumentis a/
gere,

gere: euidentia, certa, demum Achillea proferas oportet. An hic testimonijs scripturarũ utrinq; productis aduocabis sensum communem, qui controuersiam dirimat? Et spiritum & sensum communem, & diuinæ scripturæ perspicuitatem utraq; pars sibi uindicat. Nunc quod tu tam prolixe de obscuritate lucéque scripturarum disseruisti, minimum ad rem pertinet. Fac scripturas lucidissimas. Quid faciemus nos imperiti, qui uidemus utranque partem sibi pari contentione asserere spiritum qui patefacit mysteria, & summam scripturæ perspicuitatem? Fac alicubi obscuras, quid faciemus, quum ũtrique alteris obiiciatis cæcitatem: utcunque hæc habent, nos certe pendemus in ancipiti, nec interim liberas uel fidem tuã, exhibito promisso, uel nos adempta nobis ambiguitate. Fortasse redibis ad illas coniecturas, quas ante nobis proferre cœpisti: Scio meam conscientiam esse synceram, scio me spiritu dei agi, pecuniam nec habeo nec affecto, gloriã nihil moror, quid autẽ sperem uoluptatis in tãtis laboribus ac periculis? Hæc Luthere sic recipimus abs te dicta,

ut optemus esse uera, sed tamen nobis nō persuadent, nec profers illam externæ claritatis πλεροφορίαμ. sed cogere potius tentas, & allicere. Fieri potest ut talis sis qualem te prædicas, id tamen citius credere/mus si in tuis scriptis minus esset arrogantiæ, minus amarulentiæ, minus stropharū & uafriciei, quantum si uiderem in literis apostolorū, dubitarem illis habere fidem. Nam similia puto & Manichæos & Donatistas dixisse: non affecto pecuniam, nō gloriam, non cætera huius mundi cōmoda. Sunt spiritus plani iuxta Paulū, & spiritus satanæ transfigurat sese in angelū lucis, nec tutū est cuiuis spiritui credere. Quod ad famam attinet, non possis optare maiorem, eaq; tibi breui temporis spatio quæsita est, late regnas in animis hominum, tot factionibus armatus es, habes theatrū miris applausibus perstrepens, summatibus magis formidabilis es, quam amabilis. Habes tuum satellitiū, habes emissarios & uerecundarios, habes qui tecum scribant, habes qui scripta tua uertant Germanice. Quid superest nisi diadema? Hic rerū successus posset uel incorruptum animum corrumpere.

pere. Quantum habeas pecuniæ nõ labo/ro, opinor tamen in cæteris quoque rebus paulo cõmodius habere, quàm habiturus eras, si non mouisses hanc Camarinã. Certe multos noui, quibus Euangelium istud & censum & uxorem, aliaq; multa cõmo/da peperit, quum antea frigerent. Nunc si præmium audire uis adulationis meæ, sic eã interpretaris: Dimidiũ fortunulæ meæ perdidi ne cõtra te retiariũ agerẽ, multaín que suspicionẽ & inuidiã lucrifeci, cæterũ teruncio non sum factus ditior, & animũ esse mihi harum rerum cõtemptorem uel illud arguit, quod fortunam amplam cum dignitate coniunctam iam nõ semel recu/saui. Sed non permitto mihi ut de tuo iu/dicem animo, habet ille suum iudicem, qui solus nouit occulta cordiũ. Hoc exigimus ut nos de tua doctrina certos facias, id qd̃ te facturum receperas. Id si non potes, pa/tere nos ouiculas & simplices seqũ uocẽ Ecclesiæ. Dices satisfactum esse ijs qui spiri tum hauserunt è scriptis tuis. Vtinam pos/ses impositis manibus dare spiritũ bonũ: nam de spiritu qui hauritur è tuis libris ue hementer dubitamus. Nõ hic referam ex/

perimenta mea, tantum hoc dicam quod est in propatulo, calami tui uiolentiam, & supercilium imitantur permulti. Visus est olim mihi Ionas manſueti ſaniq; ingenij: librum quem ſcripſit in Ioannem Fabrum, attente cœperam legere, cupiens diſcere, qbus argumentis rem euinceret. Tantũ illic obſtrepebat cõuiciorũ, ut tædio coactꝰ ſim librum deponere, nullus enim modus aut finis. Idem mihi uſu uenit in tua miſſa abrogata, alijſq; nonnullis opuſculis. Hic uidelicet diſtinguis fidem & charitatem, fidem ais ſæuire, charitatem omnia perpeti. At ſæuitiam uidemus, charitatem illam omnia perpetientem nõ ſentimus. Nec perpendis interim, quantopere lædas cauſam tuam iſta calami licentia, quẽ nũc in hunc nunc in illum ſtringis, leuium hominum inſtinctu. Et niſi me planè fallunt omnes cõiecturæ, ad hanc poſtremam debacchationem te propulere quidam è tuis, non alia re offenſi, quàm quod ab opinione Carolſtadij de Euchariſtia diſſenſi, rogatus ſententiam. Hunc dolorem ſuum per te uoluerunt ulciſci, quum hac in parte ſta-

rem

rem abs te. Si Diatribam liberis rationi/
bus,ac fortibus argumentis obruisses,nec
me uel tantulum offendisses, fortasse &
in tuam sententiam pertraxisses, à qua nõ
ita multum abhorret animus, si tantum
scholarũ esset non etiam Ecclesiæ dogma,
& apud alios minus odij, plus fidei tibi
parasses. Ego te ad disputandi non con/
uiciandi certamen prouocaram. Et uides
quantam uoluminis tui partem conuicijs
occuparis. Verum facessant hæc.
Prolixæ disputationis qua meę Diatribes
præfationem oppugnas, hanc clausulam
facis. Quare hanc disputatiunculam sic
concludo,per scripturam ut obscuram ha/
ctenus nihil certi definitum est, nec defini
ri potest de Libero arbitrio, te ipso teste.
Per uitam uero omnium hominum ab ini
tio mundi nihil ostensum est pro libero ar
bitrio, ut superius est dictum. Docere igi/
tur aliquid quod intra scripturas nõ est ul/
lo uerbo præscriptum,ullo facto monstra
tum, hoc non pertinet ad dogmata Chri/
stianorũ,sed ad narratiões ueras Luciani,
nisi qd' Lucianus ioco & prudenter de re
bus ludicris ludẽs neq; fallit,neq; lædit:Isti

uero nostri in re seria, & quæ ad æternam salutem pertinet, insaniũt in perditionem innumerabilium animarum. Sic & ego absoluerim totam hanc quæstionem de libero arbitrio, etiam testimonio aduersarios mecũ faciente, & illis ipsis pugnãte, quod fortior probatio nulla sit, quàm ipsius qui reus est propria confessio & testimonium contra seipsum. Habemus bellam conclusionem bene nauatæ disputationis. De obscuritate iam satis dictũ est. Finxi obscuritatẽ illic esse, ubi uariant interpretationes. Eam fictionẽ si probas, simul fatere & tuas scripturas quibus iugulas liberum arbitrium, esse ambiguas & obscuras. Quod si abnuis, nostro iure reposcimus quod cõcesseramus. Nec ego per uitam orthodoxorum probo liberum arbitriũ, sed in pari testimoniorũ numero ponderecq; uolo nõ nihil habere momenti probatam testium uitam: ueluti si in iudicio par sit utriusque partis argumẽtatio, uarientq; testes, citius creditur uiro qui fortiter pugnauit pro patria, qui sancte gessit magistratum, quàm ei cuius probitas nullo populi testimonio commendatur, sed improbitas potius fa/

mosa

mosa est. Dices quid illius fortiter gesta, quid magistratus faciũt ad causam in qua testem agit? Hoc faciunt, ne quis facile suspicari possit eum in hac causa uel mentiri uel falli, qui in alijs multis integri prudentisq; uiri specimen euidens dederit. Iam si præscriptum est in scripturis dogma de libero arbitrio, quur reijcis testimonia patrũ ex sacris libris deprompta? Si non est, quur asseris sine scriptura? Sin utraq; pars alterius interpretationem reijcit, ut nõ sit obscuritas in sacris literis, certe nobis indoctis est ambiguitas, nisi quod Ecclesiæ decretum non sinit nos fluctuare. Et ideo disputans fingo uacillationem, quia præfatus fueram me nõ usurum præsidijs ecclesiasticæ censuræ. Si nihil extra scripturas recipis qd nõ sit diuinitus monstratũ, quur recipis perpetuã Mariæ uirginitatẽ? Hoc in scripturis nõ exprimit, nec ullo miraculo diuinitus monstratũ est. Si perpetuũ ecclesiæ consensum imputas pro miraculo, eundem imputabimus tibi pro libero arbitrio. Nec satis erat tibi dixisse, nihil esse recipiendum, quod non sit expressum in sacris literis, aut signo monstratũ diuinitus,

niſi addidiſſes hyperbolen, de ueris Lu/ciani narrationibus. Itá ne quicquid à ue/teribus proditum eſt de uita martyrióque ſanctorum, quicquid habet eccleſiaſtica hiſtoria, ad hæc ueterũ exhortationes & in/ſtituta, præſulũ conſtitutiones, nihilo plus habent ponderis, quàm Luciani ueræ nar rationes? Legitur in templis martyriũ S. Andreæ, S. Laurentij, & aliorum, in qui/bus celebres eccleſiæ doctores exercuerũt ſuam eloquentiã. Et hæc omnia nihil aliud ſunt, quàm Luciani ridiculæ fabulæ? Hic iocus Luthere poterat tibi aliâs tempeſti/uius dici. Vbi nunc igitur eſt ille confitens reus? Imò reclamat ille clare, docetq; hæc omnia quæ aſſumis eſſe falſiſſima. Vnde conſequitur & tuam concluſionem nihilo ueriorem eſſe, quàm ſunt ea quæ aſſumis ut confeſſa. Quorſum autem attinebat & illũd admiſcere conuicium: Iſti in re ſeria, et quę ad æternam ſalutem pertinet inſani unt in perditionem innumerabilium ani/marum. An nõ ſentis iſtam blaſphemiam recidere non in me tantum aut huius tem poris Theologos & Pontifices, ſed in pro batiſſimos quoſque Eccleſiæ doctores, ab

ipſis

ipſis penè Apoſtolorũ temporibus in hũc uſque diem, in uniuerſum populum Chriſtianum, quem probabile eſt eam tenuiſſe ſententiam, quam à ſuis doctoribus acceperat. Et addis, in perniciem innumerabilium animarũ. Atqui paulo ante quũ Diatriba tibi impingeret, quod acerbitate & paradoxis multos alienares, reſpondebas nihil eſſe periculi, ſolos impios qui pereunt offendi, electos in tuto eſſe. *Sic*cine in tuto ſunt, qui tuũ dogma ſequuntur, & pereunt qui conſentiunt tot orthodoxis, & Eccleſiæ definitioni? Et ubi nunc eſt illa religio, qua querebaris, quod te ponerem peſſimo loco, in quo cogereris aut cedere, aut aduerſus tantos uiros aliquid dicere? In eo loco teipſum poſueras, ante quàm ego collocarem. Quoties enim illis impegiſti imperitiam ſcripturarum, cæcitatem, ſacrilegium, blaſphemiam, hic addis inſaniam, quemadmodum paulo ante mentem alienatam. Et de me quereris, quaſi non ſoleas tua ſponte in illos dicere, quicquid libuit. *Si* uera prædicares, quis tamen pius ferre poſſet impiam calami tui licentiã? Nunc quũ falſa prædicas,

multo

multò minus ferenda est. Hic est tuus Lu there triumphus ante uictoriam. Nunc ac cingeris ad pugnam, & in manibus est ui/ctoria, si leges quas uictores uictis solent præscribere, nos ante congressum accipe/re uelimus, Primum miro stomacho soles reijcere, quicquid è scholis Theologorum adferretur, nunc omnia trahis ad sophisti/cam rationem, nõ ob aliud, nisi ut mihi pa rum in illis exercitato tenebras offunde/res, hoc est, quod dici solet, Canterium in fossam protraheres. Atqui nihil soles ad/mittere, nisi quod habent diuinæ literæ, & his solis tecum congrediebar, tu mutatus in diuersum, ptrahis nos in medias sophi/starum spinas, quæ si tibi tam deessent, q̃ sunt inuisæ, frequẽter hæreres perplexus. Et sic reijcis illorum præsidia, quoties com modum est, ut nobis aliam sophisticã non minus sophisticam obijcias, nouasq; com miniscaris elabendi rimas. Quantũ enim hic est distinctionum quæ faciunt necubi possis comprehendi? Distinguitur lex ab Euangelio, sed sic ut utrunq; sit in utroq;, interna scripturæ claritas ab externa, deus à scriptura, deus prædicatus à non prædi/

cato,

cato, Spiritus euãgelicus à ſpiritu erroris, opinio negatiua quæ nihil probat ab affirmatiua, cuius eſt probatio. Oſtenditur duplex oſtenſio ſpiritus, duplex canon, charitatis & fidei, duplex neceſſitas, operis & tẽporis, rurſum coactionis & imutabilitatis: Duplex omnipotentia dei, naturæ & operationis, duplex reſpectus ad ſuperiora & ad inferiora: diſcernuntur indicatiua uerba, ab imperatiuis & ſubiunctiuis, ſtilus à uita morteq; ſecernitur, à precatiõe diſputatio, deniq; diſtinguitur Eccleſia quæ uidetur eſſe quum nõ ſit, ab Eccleſia quæ nõ uidetur eſſe quum ſit, diſtinguũtur ſancti, qui quũ uideantur non ſunt, à ſanctis qui habentur pro impijs, quũ uere ſancti ſint. Non hæc recenſeo, qd omnes tuas diſtinctiones improbem, ſed quod tibi ſumas in ſacris literis explicandis, quod alijs nõ permittis, & aliorum diſtinctiones ſoleas exibilare, quum tuas haberi uelis pro oraculis. Nobis occludis omnem exitum, & tibi uis patere tot cuniculos. Nunc uide quas leges præſcribas nondũ uictor, Deponite quicquid armaturæ ſuppeditant orthodoxi ueteres, theologorum ſcholæ, autoritas con

conciliorũ & pontificũ, consensus tot secu lorũ,ac totius populi Christiani. Nihil re/cipim⁹ nisi scripturas, sed sic ut penes nos solos sit certa autoritas interptãdi. Quod nos interptamur hoc sensit spũs sanctus, quod adferunt alij quãuis magni, quãuis multi, à spũ satanæ,& alienata mente pro/fectum est. Quod orthodoxi docuerunt, quod autoritas ecclesiæ tradidit, quod po pulus Christianus amplexus est,qđ scho/læ defendũt,exitiabile uenenũ est Satanæ: quod ego doceo,spiritus est uitæ. Credite in scripturis nihil prorsus esse obscuritatis uel quod egeat iudice,aut ut omnes cæcu/tiant,ego non cæcutio. Nam conscius mi/hi sum me habere spiritũ Christi,quo pos/sum de oĩbus iudicare,nemo de me. No lo iudicium,sed requiro obsequium. Neq; quenq; uel tantillum moueat multitudo, magnitudo, latitudo, profunditas, mira/cula,sanctitas, ecclesiæ sanctorum,omnes perierunt,si senserunt ut scripserũt,nisi qui forte resipuerunt ante supremũ uitæ diem Qui meis probationibus diffidunt,aut ca rent sensu cõmuni, aut blasphemiam com mittunt in spiritum sanctum, & subuertũt

Christia

Christianissimum. Huiusmodi leges si recipimus, nimirum tua est victoria. Rursum postulas, ne quid fidamus ueteribus Orthodoxis, quod nonnunquam inter se uarient, quum inter uos paucos tanta sit controuersia, de Prophetis, de imaginibus, de disciplinis, de baptismo, de Eucharistia, & uis ut nihilo secius credamus uestris dogmatibus, præsertim quum quotidie expectemus noua. Et blasphemi uocamur, quod adhuc hæreamus ecclesiæ ueteri, nec audeamus tuis castris adiungi, & occinitur nobis illud ex Euãgelio: Qui nõ est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, spargit. Nihil hic affingo, certa notáque loquor. Nunc operæprecium est uidere, quàm non simpliciter tractas Diatribam, nihil non deprauans, nihil nõ calumnians, nihil non damnans, plus fidei tibi conciliaturus, si quædam probares, uidereris enim cætera iudicio damnare, non morbo. Quis enim est tam malus scriptor, ut non aliquid admisceat probandum? Exagitatur itaq; cum primis nostra 37
definitio, quã ita propono disputaturus: liberum arbitriũ est uis humanæ uolũtatis,

qua

qua se possit homo applicare ad ea quæ p/ ducunt ad æternam salutem, aut ab ijsdem auertere. Hanc descriptiunculam, quũ nõ in aliud ppositissem, quàm ut ostenso sco/ po, non latius uagaretur disputatio, quàm oporteret, congeritur hic quicquid in so/ phistarũ scholis garriri solet à pueris. Ob/ ijcitur quod non explicuerim partes defi/ nitionis, nimirum naufragium nõ unum ueritus, quum tamẽ id soleat ab alijs fieri. Solet, sed qui de re, parum nota, aut cõtro uersa, disputationem instituũt, mihi de re iam à tam multis tractata breuis conflicta tiuncula erat suscepta, nec mihi sumpsi per sonam è cathedra docẽtis classem discipu lorum, aut scribentis commentarios in o/ pus perplexi sc&ptoris, ut singulæ defini/ tionis partes mihi fuerint uel defendendæ uel explicandæ. Sciebam liberum arbitriũ à diuersis uarie definitum, tu compendio definis, nomen sine re. Perlongũ erat alio/ rum definitionibus uel reijciendis aut asse rendis uel explicandis immorari. Decreue ram in hac harena non diu morari, & alio qui superuacaneum erat uocem notam & à multis definitam describere. Quur igitur definis?

definis? Non tam definio uocis rationem, q̃ contraho ad id quod in præsentia susce/peram agendũ. Mentior, nisi hoc indicant mea uerba. Porrò liberum arbitriũ hoc lo/co sentimus &c. Quid significat hoc loco? Nihil aliud, q̃ hactenus hic de libero arbi/trio disputabimus, ne quis expectet quic/quid de libero arbitrio potest aut solet di/sputari. Iam quorsum attinebat hic explica re singulas definitionis partes, quod solent ñ qui pueris Aristotelem prælegũt in scho lis, quũ ipsa disputatio progrediens id faci/at? Solent scriptores summã rei de qua lo/qui destinarunt, ueluti scopum ostendere. Idem facio in Diatriba Et ingeritur altera calumnia sophistica. Quod definitur, la/tius patet quàm ipsa definitio. Est enim li/berum arbitrium dei, quod unum uere potest dici liberum. Est aliquod liberũ ar/bitrium in angelis, & tu astringis ad homi nis uoluntatem. Iam respõdi me ideo hæc præfatũ, ut ab hac conflictatiuncula exclu derem disputationem de arbitrio dei dæ/monũ aut angelorũ, præsertim quũ asser/tio tua, nõ impugnet nisi hois arbitriũ. Sed grauius flagitiũ est, quod uox quã definio

pugnat cũ ipſa definitiõe, hoc eſt, qd noĩs, cũ eo qd eſt quid rei. Agnoſco ſcholæ pue rilis uocabula. Quiſqs em̃ inquis audit li/ berũ arbitriũ, accipit ꝓprie dici quod põt & facit erga deũ, q̃cũq; libuerit, nulla lege, nullo imperio cohibitũ. Etem̃ ſi ſeruꝰ q dẽ/ git ſub imperio dñi, liber dici nõ põt, mul/ to minus hoĩs uolũtas q̃ ſubiecta eſt impe rio dei. Proinde magis tibi placet ut uer/ tibile dicatur, q̃ liberũ. Primũ quod hu/ ius uocis honorẽ cõtẽdis ſoli deo ꝓprie cõ gruere, q̃le ſit iã ante diſcuſſimus: neq; nos homini tribuimus arbitriũ ſimpliciter libe rũ, qd ex diſputatione ſatis liq̃t. Quur igit abuteris uoce? Ego huiꝰ uocis repertor nõ ſum, q̃re magis decet ut ſup hac re expoſtu les cũ oĩbus ueteribus, ac recẽtioribus, atq; adeo cũ ipſo etiã Auguſtino, qui quũ mini mũ tribuat libero arbitrio, tñ in titulis uo/ luminũ, totaq; diſputatiõe abutit recepto uocabulo. Cæterꝝ qd ais hãc uocẽ omniũ auribus nihil aliud ſignificare, q̃ liberã po teſtatẽ faciẽdi erga deũ qcqd libuerit &c. res lõge ſecus habet inter Chriſtianos. Re cte monet Auguſtinꝰ, nos ad certã regulã ſobriis & ꝓpriis uerbis debere loq, ſed ipſe

tamen

ñ q hoc monet, quoties inculcat in libris
suis nomẽ liberi arbitrij, nec ipse tẽperas à
recepto uocabulo, cẽ sobrius in nouandis
ecclesiæ uel dogmatibus uel uerbis, norũt
q tua legũt, & mihi nũc occinis Augustini
monita, ꝙ ab oĩb⁹ recepta uoce sũ abusus.
deinde exigis hic dialecticã & philosophiã
ethnicã, quã soles pestẽ rei Christianæ uo-
care. Sed utrũq; donas & abusũ uocis, et de
finitionẽ ad hominẽ restrictam. Quid aũt
donas, si cõcedis ius publicũ? Aut qd mihi
largiris si demõstro lectori, q̃tenus sim hic
loquuturus de libero arbitrio? Nihil enim
aliud agit illa mea descriptio, nisi quod le-
ctorẽ ꝓmonet, nõ audies hic de libero ar-
bitrio dei, angelorũ aut dæmonũ, aut si qd
est brutorũ animantiũ, sed de eo qd tribuit
hũanæ uolũtati, nec discutiemus qd possit
in rebus leuioribꝰ, q̃ nõ cõducũt ad æternã
felicitatẽ, sed dũtaxat qd agat i his q̃ ptinẽt
ad æternã salutẽ. Si nõ est phas de re q̃piã
disputare, nisi ptes illiꝰ oẽs, et his adhærẽtia
pseq̃ris, pctm̃ est à plĩbus scriptoribus. Si cõ
mode facit, q oñdit qd lector expectare de
beat, qd nõ, qd est rãdẽ qd mihi cõdonas?
Sed rursus alia calũnia definitiõis, Petrus

Lombardus & ſophiſtæ faciunt geminã li
beri arbitrĳ uim, diſcernẽdi, quæ ꝓpria eſt
intellectus, & eligẽdi ſeu reĳciendi, quæ ꝓ
pria eſt uolũtatis. At mea definitio tãtum
attingit uim eligendi aut reĳciendi. Itaq; di
midiatũ modo arbitriũ propono. Reſpon
deo paucis. In hac quæſtione libertatis, pri
mas tenet uolũtas, qua, ut inquit Auguſti
nus, peccatur & recte uiuitur. Ab hac q̃ꝫ q̃ꝫ
non eſt ſeiuncta ratio, neq; enim uoluntas
proprie dicitur, quæ ſenſum aut affectum
ſequitur potius q̃ꝫ rationis iudicium, tamẽ
id ponere maluimus, quod in hac diſquiſi
tione præcipuum, & ſolum libertatis eſt ca
pax, præſertim quum eo propoſito, ſimul
& illud intelligat, quod natura præcedit,
ueluti ſi quis loquatur de expetendo hone
ſto, ſimul cõplectitur & illa quæ ſecernunt
honeſtum ab inhoneſto. Et in progreſſu
diſputationis attingo quod ſatis eſt de iu
dicio rationis.

74 Nunc perinde quaſi ſedeamus in ſcho
lis Chryſippi, ad uiuum exigitur noſtra de
ſcriptiuncula. Obĳcitur obſcuritas, & ſin
gulæ particulæ rigido examine diſcutiun
tur. Definitio non una de cauſa ſolet adhi
beri, inter

beri, interdum quo natura rei qua de agit̃ possit cognosci, nonnunc̃ res notissima, tantum attingitur, tanc̃ titulo, ueluti si qs disputet hodie de anatomia, nihil habet opus apud eruditos medicos definire qd sit anatomia. Satis est titulus. Nõnunc̃ additur definitio uel notatio potius ut admoneatur auditor quid debeat expectare qd nõ, ueluti si disserturus de animalibus, ne lector expectet quicquid de naturis, de generationibus, de partibus, de moribus, de medicinis dici solet, sic admoneat: Hæc disputatio tractabit de animãtibus terrestribus ac maritimis, sed his duntaxaxat quæ ueneno noxia sunt. Nec alio consilio adhibita est nobis illa notatiuncula, in re iacta iam, & omnibus eruditis notissima. Sed age qualis qualis est nõ deprecor seueram excussionem, nec tam reformido tuam cẽsuram, quámuis iniquam, c̃ arbitraris. De abusu nominis iam responsum est, nec feriã hoc mihi sæpius obijci. Aperta sũt hæc, ut ais, uis humanæ uoluntatis, Item qua se potest homo, item ad æternã salutem. Rursus obscura sunt ista, Applicare & auertere, Item ad æternam salutẽ, item per-

ducũt. Vim uolũtatis humanæ interptaris potẽtiã uel facultatẽ uel habilitatẽ uel aptitudinẽ, uolẽdi, nolendi, eligendi, cõtemnẽdi, approbãdi, reputãdi, & si quæ sunt aliæ uolũtatis actiones. Applicare & auertere, non uides quid sit, nisi ipsum uelle aut nolle, probare aut reprobare, quæ sunt actiones à potestate uoluntatis elicitæ. Et fingis uim illã esse mediũ quiddã inter uoluntatẽ & uolũtatis actionẽ definitam. Et hic citat si deo placet, regula iuris, ne nescíremus tibi iureconsultũ fuisse à consilijs quum hæc scriberes. Scio in Pandorã istam deos oẽs cõtulisse quod habuit quisq; præcipuũ. At quid tandẽ præscribit regula iuris? Sermonẽ obscurũ aduersus eũ interpretandum esse, q sic loquutus sit. Sed qd præscribit regula charitatis, quã tibi uindicas? Omnia in meliorẽ partẽ esse interptãda, & q firmior ac dõctior est, eum debere seruire infirmitati alienæ. Nũc uide q̃ abſis à charitatis regula q superes etiã iuris regulã: illa nõ uult p̃ desse sermonis obscuritatẽ ei, qui fortasse prudẽs datáq; opa sic loquutus est, ut falleret, tu dilucide dicta obscuras, quo locũ facias calũniæ, sicuti mox aperiemus. Sed ad

rem

rem, hactenꝰ tolerabilis est tua interptatio. Quæ ad salutē pducunt, interptaris uerba & opa dei, quæ offerūt uolūtati hūanæ ut eisdē sese applicet uel auertat. Verba dei dicis in legē & Euāgeliū, lege exigūt opa, Euāgelio fides. Negas em̄ te uidere alia, q̄ uel ad gratiā dei uel ad salutē æternam perducunt, nisi uerbum & opus dei, quod gratia uel spiritus sit ipsa uita, ad quā uerbo & opere diuino perducimur.

Sed hæc, inqs, uita uel salus æterna, res est incōphensibilis hūano intellectui, perperā igit̄ tribuo uolūtati hūanæ uim applicādi sese, quū nullū hois cor possit nosse qd hæc sunt, nisi spūs ea reuelarit. Et Pauli testimonijs, addis argumētū ab expimētis, de philosophis, Portio Festo, & Plinio qui derisērūt resurrectionē Euāgelio pmissam. Adijcis nec hodie deesse, q hūc articulum fidei, ceu fabulā rideāt, licet uoce stiloq; iactēt se credere. Hactenus impia nō sūt q dicis, sed q̄ nō lædūt meā definitionē. Porrò qd optas ne ego sim codē fermēto aspsus, libēter accipio tuā pcationē, idēq; tibi uicissim pcor, nisi qd istud tuū uotū suggillatio est meæ fidei. an mea fides sit sufficiēs ad salutē 75

uiderit dominus. Certe ficta non est, nec aliud in corde sentio quàm scribo, & quotidianis precibus interpello Christi miseri/cordiam ut mihi fidem adaugeat. Miror autem, quur te huic uoto admisceas, quũ profitearis te certũ esse quod habeas spiri/tum omia largientem, quod utinam sit ue/rissimum, & mea suspicio sit uanissima. Vi deris autẽ hic arte palæstrica temetipsum submittere, quo me deijcias, idq; pro tua solita simplicitate. Audiuimus callidam in terpretationem meæ definitionis, ex regu/la iuris nimirũ in me detortam, audiamus nũc terribiles ἐπιφοράς eadẽ arte colligẽtis.

76 Docet Erasmus liberum arbitrium esse uim uoluntatis, quæ potest à seipsa uelle & nolle uerbum & opus dei, quibus ducitur ad ea, quæ excedunt & sensum & captum eius: si uero potest uelle & nolle, potest & amare & odisse, potest & aliquantulum fa cere legem, & credere Euangelio: quia im/possibile est si aliquid uelis aut nolis, ut nõ aliqd operis ea uoluntate possis, etiã si pro hibente perficere nõ possis. Iam inter ope/ra dei quæ ad salutẽ perducunt, mors, crux & omnia mala mundi numerentur, pote/

rit hu/

rit humana uoluntas,& mortem & ſui per ditionem uelle. Quin omnia uelle poteſt, dum uerbum & opus dei uelle poteſt. Quid enim ſupereſt,niſi deus ipſe? Quid tandem? Nihil hic tribuo gratiæ,ſed libero arbitrio planè diuinitatem quandam attribuo. Accurrite omnes augures,aruſpices, Nouum portentum audite. Eraſmus ex nihilo deum facit. Pandite nunc Helicona deæ,hic patet Luthero campus expromẽdi tragicam facundiam. Eraſmus longe ſuperat impios ſophiſtas, qui utcũq; ſentiũt. parcius certe loquũtur de libero arbitrio. Pelagianus eſt,imò longe ſuperat Pelagiũ qđ is diuinitatẽ quidẽ tribuit libero arbitrio,ſed toti,Eraſmꝰ idẽ tribuit dimidiato.

O cœlũ, ô terra,ô maria Neptuni. Eſt ne amplius? eſt,excedit ipſos etiam philoſophos ethnicos. Quid ita? Quia quum nõdum inter philoſophos conueniat, an aliquid moueat ſeipſum,mihi liberum arbitriũ nõ ſolũ mouet ſeipſum idq; ſuapte ui, ſed applicat etiam ad ea quæ ſunt æterna, id eſt incomprehenſibilia ſibi. Horrenda narras. Sed etiã ne amplius? Eſt, Eraſmus q hactenus impietate ſuperauit oẽs,tandẽ 78

& ſeipſum ſuperat. Qui ſic? Quia quũ antea faſſus ſit liberũ arbitriũ inefficax eſſe, ſine gratia, hic definit, humanã uoluntatem eam habere uim, qua poſſit ex ſeſe applicare ſe ad ea quæ ſunt æternæ ſalutis. Hic interim diſſimulo, quod pro põt mutaris, efficax eſt, & pro inefficax poſuiſti prorſus inefficax, ut uerba magis ſeruirẽt calũniæ, & ſcõma negligo de ioco noiata gratia, & hic ſerio loqns prætermiſi. Venimus ad ſummũ. Quid ſupereſt, niſi cantio triũphalis: Eã addit epiphonema. Vides ne mi Eraſme, hac definitiõe te ipſum prodi, imprudẽter credo, quod harũ rerũ nihil omnino intelligis, uel prorſus incogitãs & cõtemnẽs de illis ſcribis, ignarus quid loquaris uel qd affirmes. Nũc audi contra Luthere donec oſtendã, q̃ntũ te hic prodas p̃ſtigiosq; artificẽ, & quos fumos, & horrẽdas ſed inanes acuanas req; imagines nobis ob oculos offuderis. De abuſu uocabuli iã ſæpe dictum eſt, & iſtã cantilenã toties fruſtra recinis, de dimidiato libero arbitrio modo ꝓpulimus calumniã. Quid em̃ aliud eſt & calumnia, in mea definitione deſiderare quod mox in definitione theologorũ dãnas? Sic habet

habet tuus sermo. Deficiũt & in hoc sophi stæ, quod libero arbitrio uim discernẽdi bonũ à malo tribuũt. Minus igit̃ pecco q̃ illi. Atq hinc colligis me peccare grauius. Tãtũ uales dialectica. Tu pfessus te crassius uelle loqui, prudens etiã dilucidis inuexisti caliginẽ. Accipe igit̃ crassiora. Ego uocib⁹ è media loquentiũ consuetudine sumptis, appello salutem æternã, qua fruemur iam immortales apud deum. Num quid hic est caliginis? Nam hic interim in spe sumus & arram tenemus, promissum expectamus. Porrò quæ ad hanc felicitatẽ ducũt, appello omnia per quæ suscitatur animus noster, ad qualemcunq; appetentiam illius felicitatis, siue ea sit efficax, siue ineffi cax. Auertere quid sit intelligis, quum quis oblatam gratiam negligit, magis diligens tenebras quàm lucem. Quod igitur huic opponitur, uocaui applicare, hoc est, præbere se gratiæ. Sed excludis, inquis, gratiam dei. Imò hæc ipsa uerba applicandi, & auertendi, significant eam non excludi. Nemo se applicat, nisi admonitus aliquo sensu rei expetendæ. Nemo se auertit, nisi ab eo quod offertur. Quum

syllabas

syllabas meæ definitionis excuteres, debe/bas & horum uerborum emphasim excu/tere. Simul & illud annotare, quod non di xi, potest, sed possit, ueluti desiderans ali/quid præter naturæ uires. Dices, quur non expressisti gratiæ uocabulum in tua defini tione, quum ante professus sis liberum ar/bitrium ineffícax esse sine gratia? Quin tu potius homo plenus Christianæ charita/tis, quæ nihil agit perperam, interpretaris in definitione subaudiẽdum, quod in Dia/triba toties inculco, quur tibi non sufficit gratiã duobus illis uerbis significatã esse? Quod si urges, quur hic non expresse no minarim gratiam, dicam, nondũ distinxe/xeram gratiæ uocabulum, in gratiam natu ralem, in gratiam præparantem uel imper fectam, & in gratiam efficacem & abolen/tem peccatum. Nec satis etiamnum cõue/nit inter theologos, an sine speciali gratia possit homo per facta moraliter bona ex ambire dei gratiã efficacem, nec ne. Vtriq; sententiæ locũ reliquit mea definitio, quod neutram omnino refellam, licet in eã pro/pensior, quæ plus tribuit gratiæ. Sed exclu do spiritum sanctum, ut ais, cum omni uir

tute

tute sua tanq; superfluum & non necessa-
riũ. Vnde id coniectas ὦ βέλτιστε? Ex una
uidelicet syllaba, se. O potentẽ syllabã. Imò
illa syllaba nihil aliud efficit, nisi ut intelli-
gas, naturæ uires nõ esse prorsus ociosas,
quum monemur à gratia. Et si recipimus
illorũ opinionẽ, qui docent absq; speciali
gratia, p naturæ uires, quæ tamen ipsæ sunt
dona gratuita dei, quosuis posse eousq; ni
ti, ut dei misericordia nõ sit illis defutura,
q quod in ipsis est præstiterint, hic uerũ es-
set quod uolũtas absq; gratia sese applicat
ad ea quæ perducunt ad salutem æternam.
Vt em̃ nemo repẽte fit turpissimus, ita pau
latim & gradibus quibusdam adducimur
ad perfectum dei donum, ueluti quibus in
densissimis tenebris uersantibus, primum
raresçit caligo: deinde dubia quædam lux
procul ostendit̃ donec perspicue uideant.
Nam hæc comparatio placuit Augusti-
no. Proinde inter ea quæ perducũt ad
æternã salutẽ etiã illa numero, quæ procul
admonent, quasiq; pulsant animũ ad desi-
deriũ æternæ salutis. At nõ desiderat nisi q
nouit, & qui nouit iam habet. Imò qui desi
derat, nec habet, quod optat, nec omino

caret

caret. Admonet aũt nos uarijs modis deꝰ, interdũ per lucẽ naturæ, per quam intelligimus uirtutẽ propter seſe expetendam, & turpitudinẽ propter ſeipſam fugiendã, nõ nũq; rebus aduerſis, Interdũ lectione, aut admonitione amicorũ, interim & leui ſibilo ſpũs. Auguſtinus antequ hauſiſſet ſpiritũ Chriſti, ſtudioſe legebat epiſtolas Pauli, & aliquouſq; profecit, propior factus luci gratiæ. Magis aũt accẽſus eſt oratione Potitiani: ut demus hic nõ defuiſſe dei gratiã, certe erat imperfecta, nondũ liberans à peccato, ſed præparans ad uberius donũ. Verum ab ea gratia ſi ſe auertiſſet, ipſe ſibi fuiſſet cauſa exitij. Nũc præbuit ſe uocanti gratiæ & aſſequutus eſt ſalutẽ. Igitur inter ea quæ ducunt ad ſalutẽ, nõ ſolũ pono uerbũ & opera dei, & gratiã, uerũ etiã naturalem appetitũ honeſti, q ut in nobis obrutus ſit, non tamen extinctus eſt, pono ſtudium legendi, & audiendi, quæ prouocant ad mũdi contemptũ, pono precationes, eleemoſynas, ieiunia, ſed hæc oĩa dices eſſe opera damnãda & irã dei prouocãtia, tantum abeſt ut gratiã inuitent. Verũ hoc quod aſſumis, ut ἀξίωμα, controuerſum eſt inter

nos.

nos. De Cornelio, suo dicet loco. Nec em mirũ est te sic iudicare de opib⁹ factis absq; gratia, quũ neges esse ullũ hois opus bonũ qđ deus opat in nobis p gratiã iustificatis. Tm ualet apud te corrupta massa, ut nec deus in ea possit opus bonũ opari, ne dicã pfectũ. Vides igit totã illã tragœdiã quam ex definitiõe cõcitasti nihil aliud eẽ, q; magnũ grauẽq; uerboꝝ inaniũ fumũ ac pstigiatoꝝ inania ludibria si qs fixius intueat.

Trãsis ad calũniandũ meas distinctiões. In recensendis aliorũ opinionibus de libero arbitrio Pelagiũ facio penè Euãgelicũ, philosophis nõnullis tribuo fidẽ quãdam & charitatem. De Pelagio nihil refero nisi quod de illo fatet Augustinus, nec Euãgelicũ facio, sed illũ nũero inter eos, quos ecclesia dãnauit hæreseos. Nec fingo q̃drupli cẽ gratiã, & si docẽdi gratia fingerem, nihil erat piculi, sed eã distinctionẽ ex orthodoxorũ libris hausi, q fatent esse gratiã qcqd sumus aut possumus, tũ ponũt gratiã præuenientẽ ac uelut inuitantem, sed hanc imperfectam. Est gratia cooperans, sic em appellat Augustinus, quæ uolũtatẽ nostrã p primam gratiã extimulatã reddit efficacẽ. 80

Est

Est gratia quæ perficit salutis negociũ. Sic enim distinguit Bernardus. Et tamen fateor has tres eãdẽ esse gratiã, licet ex effectu diuersis nominibus appellentur. Hæc distinctio quũ nihil habeat impiũ, tñ tibi merito displicet, quod nihil faciat ad tuũ dogma cõfirmandũ. De philosophis testificor hoc quod scribit Paulus ad Romanos, non aurus tãtũ illis tribuere, nisi tãtũ haberẽ autorẽ, Lumini naturæ tribuis tu quoq; non nihil in fine operis. Nã qđ ex psalmo citarã: Signatũ est super nos lumẽ uultus &c. scis non esse meũ cõmentũ, & ut ingenue fateor, apte exponi de luce fidei: ita nego quod asseris, non posse accipi de luce naturæ: Signatum est lumen, quum deus conderet hominem ad imaginem & similitudinem suam, per peccatũ obscuratam non extinctam. Nõ igitur detorqueo psalmum ad rationem excæcatam, sed accommodo ad obscuratam. Si lux naturæ prorsus erat extincta in nobis, quomodo philosophi sine gratia dei deũ cognouerunt? Quomodo tam multa prodiderũt de honesto, deq; recte uiuendo? de immortalitate animarum, de initio & fine mundi, de

diuersis

diuersis piorum & impiorum præmijs, de non referẽda iniuria, de honesto propter ipsum expetendo, de turpitudine propter ipsam fugienda, de educandis liberis, de diligendis uxoribus, de sancte gerendo magistratu, de charitate in patriam? & in illorum uita multa leguntur facta præceptis illorum cõsentanea. Quod igitur flagitium admissum est, si dixi quædam ab illis prodita, quæ cõsentiunt cum præceptis Euangelicis? Similiter Ethnicorũ leges, nónne puniũt furta, homicidia, adulteria, falsa testimonia, quemadmodũ & Mosi lex? Ex his colligo rationis lumen in illis non fuisse prorsus extinctũ, & addo, non improbabile uideri, in illis & uolũtatẽ fuisse aliquo modo propensam ad hõnesta, sed ineffica cem ad salutem æternam, nisi per fidẽ acce deret gratia. De fide & charitate quam ais me philosophis tribuere in mea Diatriba nihil asseuero, quãquam & hoc disputatur à nonnullis, quæ fides suffecerit idiotis Iudæis, & num qua sit fides, qua Ethnicus seruari possit. Distinctionem de triplici lege naturæ, operum & fidei fictam fabulam appellas. Primum de lege naturæ nulla est dubitatio, quod differo de lege operũ

& lege fidei, ex Augustíno sumpseram, qui in libro quem inscripsit de litera & spíritu, iuxta Pauli sententiam distinguit legem operum siue factorum à lege fidei. Legem factorum uult esse legem Mosi, tabulis inscriptam, præcipientem absque gratia. Legem fidei uult esse nouum testamentum, quod quanquam eadem præcipit quæ lex operũ, tamen addita gratia fidei facit præcepta mollia. Et inter multa sic dicit: Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Ac paulo post: lege operum dicit deus, fac quod iubeo: Lege fidei, dicitur deo, da quod iubes. Rursus aliquanto post: quum in tabulis scribuntur opera charitatis, lex est operum, & litera occidens præuaricatorem. Cum autem charitas diffunditur in corda credentium, lex est fidei & spíritus uiuificans dilectorem. Hæc ille. Non equidem damno sententiam eorum, qui legem uolunt esse præceptorum, Euangelium promissionis & consolationis, ita ut utrunque sit in utroque, hoc est, Euangelium sit etiam in lege Mosaica, & lex sit in Euangelio: sed Augustínus, quanquam non ita multum abest ab hac sententia, tamen

men nō uidetur prorſus idē ſentire. Nam eodē in opere diſtinguit uetus teſtamentum à nouo, genere promiſſorum, quod illic promittantur temporalia, in Euangelio æterna. Verba Auguſtini ſic habent: Sicut ergo lex factorum ſcripta in tabulis lapideis, merceſque eius terra illa promiſſionis, quam carnalis domus Iſraël, quum ex Aegypto liberata eſſet, accepit, pertinet ad teſtamentum uetus: Ita lex fidei ſcripta in cordibus, merceſq; eius ſpecies contemplationis, quam ſpiritualis domus Iſraël ab hoc mundo liberata percipiet, pertinent ad teſtamentum nouum. His conſentanea dicit enarrans ex Euangelio Ioannis hæc uerba: Sed unigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Hæc quum imitarer, tamen accedo propius ad eam ſententiam, quam uos probatis & Auguſtinus, Inter alia ſic loquens Moſes dicit: Ne committas adulteriū, & commiſeris lapidaberis. Sed quid dicit lex fidei, quæ iubet diligere inimicos, quæ iubet tollere crucem quotidie, quæ iubet contemnere uitam? Nolite timere puſillus grex, ueſtrum eſt enim regnum cœlorū, &: confidite quia ego uici mundum, &: ego uobiſcum

ſcum ſum uſque ad conſummationẽ ſecu/
li,&c. Vides ut oſtenſurus quid ſit lex fi/
dei,proferam uerba fiduciæ & conſolatio/
nis. Nec hoc erat hic propoſitum quibus
modis diſcerneretur lex uetus ab Euange
lio,ſed in hoc obiter adhibita eſt hic diſtin
ctio,quo facilius lectori commonſtrarem,
naturæ lucem obſcuratam, illuſtrari per
fidei donum, & uoluntatem corruptam
corrigi per charitatem. Arbitror lectori
perſpicuum eſſe factum, quàm adhuc ni/
hil ſit commiſſum in Diatriba,quod repre
henſionẽ mereatur,niſi quod tu male nar/
rando nihil non deprauaſti, quo minus ha
bemus tibi fidei, ſacras literas enarranti,
quod in his deprauãdis comperiamus, eſſe
ſis malæ fidei. Nunc uide quantam de nihi
lo ſuſcites tragœdiam. Hæc ſunt tua uerba:
Quæ ſi quis Chriſtianus omnia conferat,
cõgetur ſuſpicari te ludere & ridere Chri/
ſtianorum dogmata & religionem. Nam
tantam ignorãtiam ei tribuere, qui ſic no/
ſtra omnia perluſtrauit, tanta diligentia
& memoria cõſeruauit,mihi planè eſt dif/
ficillimum. Hactenus tua. Quur crimen
tam atrox impingitur? quia Pelagium fe/
ci penè Euangelicum, id eſt, hæreticum.

Quid

Quid enim aliud est penè Euangelicum esse? Ethnici non dicuntur penè Euangelici, qui procul absunt ab Euangelio. Sed Arius fuit penè Euangelicus, qui sua dogmata per Euangelium confirmabat. Deinde fateor in philosophis rationem fuisse obscuratam non extinctam. Nam de multis bene iudicarunt per lumen naturæ, uoluntatem item non penitus corruptam, quum in his appareant naturales quidam nisus ad honesta: pro quibus tu supponis fidem & charitatem. Distinxi triplicem legem, naturæ, operum & fidei. Legem naturæ nemo negat, reliquarum duarum discretionem hausi ex Augustino. Dixi in philosophorũ opinionibus ac præceptis esse quædam consentanea dogmatibus ac præceptis Euangelicis, Psalmi quarti uersiculum: Signatum est lumen, &c. sic applico ad lumen naturæ: ut non negem recte interpretari de fide, per quam naturæ lux adiuuatur. Post hæc tam horrenda crimina sequuntur illa quæ modo recitaui. Quæ si quis Christianus, &c. Sed ubi commõstras nobis istum Christianismũ? In uestra ecclesia uariant sententiæ, in nostra nulli sunt, si tibi credimus, denique

doces nec sanctos nec Christianos, nec ec cleſiam oſtendi poſſe. Porrò quum chari tas Christiana neſciat ſuſpicari malũ, quis erit iſte Christianus abſque charitate tam male ſuſpicax, ut ex bene dictis cogatur ſu ſpicari, me ludere & ridere Christianorũ dogmata, & religionem? Citius arbitror hoc ſuſpicaturos Christianos, ſi deſerto ec cleſiæ conſortio, tua dogmata propugna/ rem. Quàm uero malicioſum hic prodis calumniãdi ſtudium, hactenus nihil ſciui, ſed incogitans, imprudens, ignorans lo/ quor omnia. Hic quo nouæ calũniæ facias locum, nõ potes mihi tribuere tantũ igno/ rantiæ, ſed mauis ſcientiam ademptã red/ dere, quo crimen grauius hæreat in me ir/ riſæ religionis & Christianorum dogma/ tum. Quæ ſunt autem iſta ueſtra, quæ tan/ ta diligẽtia perluſtraui, memoriaq; teneo? Tuáne dogmata? Vix ullum tuorũ libro/ rum potui perlegere, tanta eſt ibi loquaci/ tas, & inſatiata conuiciandi libido. Et do/ ctiſſimus ſit oportet, q tua intelligat, quæ ſine tuo ſpiritu intelligi non poſſunt. Et haud ſcio an Christianorum dogmata pu teq; non alia eſſe quàm tua. Ego de fidei ca tholicæ decretis putabam te loqui, illa cer/

te non

te non irrideo, nec unquam mihi fuit ille animus, gratia deo, licet uitam excusare nec possim nec uelim. Sic tu me nunc alium nunc alium fingis, utcunq; tibi uideor idoneus ad calumniam. Quot conuicijs initio debachatus es in Scepticũ animum? Quoties criminatus es, quod in Diatriba nihil asseram? At idem paulo post, omnium optime facio, qui nihil asseram, sed studio quærendi ueri tantum disputem, discendi cupidus. Ita tibi constas in calumnijs, ut ex eadem re geminũ crimen elicias. Et perinde quasi parum sycophanticũ sit impegisse crimen impij blasphemiq; animi, reprimis teipsum: sed interim (inquiens) abstinebo, indicasse cõtentus, donec occasio dignior sese obtulerit. Ac mox audio, Mi Erasme, & amãter admoneor ne sim de illorum numero, qui dicunt, quis uidet nos? Hæc cãtio tibi potius canenda est, qui quum talibus strophis ludas, arbitraris te fallere, nec deprehendi spiritum tuum. Ne sic, inquis, tentes nos. Si ego te tento qui citra conuicium tecum disputo, quur non iritaris in illos, qui magnis uoluminibus te lacessunt ac lacerant,

non disputãtes ut ego, sed propriis cognominibus te tuáque dogmata appellantes? Quod si illos negligis, quod sint extra ecclesiam tuam, quando Paulus non dignatur de his qui foris sunt iudicare, ego semper à tua ecclesia fui alienus, non minus quàm illi. Quin sæuis in illos qui libris æditis palàm debacchantur in tua dogmata, quum hactenus professi sint tuam ecclesiam? Paulus nullos tradidit Satanæ, nisi qui defecerant ab Euangelio. Hoc mihi non potes obiicere. Semper eadem, tum scripsi, tum dixi, tum sensi. Toties obiicis ecclesiæ Romanæ tyrannidem, quæ si qua est, longo temporis progressu irrepsit, sensim alentibus eam opibus, potẽtiaq; munidana. Verum isti animo quẽ spirãt tua scripta si accederent opes, autoritas, potentiaq; Romanorum pontificum, satis apparet, quid nobis sit expectandum. Mitteres huc ni fallor satellitium tuũ atq; armatas copias, aliquanto inclementius tractaturus abs te dissentientes ferro, quàm nũc tractas calamo. Et ubi est interim ille mirabilis Euangelista, qui solo gladio spiritus, quod est uerbũ dei profitebatur se uindicaturum Euangelium aduersus portas infe/

ri?

ri? Ad calumnias, ad cõuicia, ad minas de/
scendis totus, & tamen uis uideri simplex,
purus, nec affectib⁹ humanis duci, sed spi/
ritu dei. Recte doces, deũ oportere iustũ
credi, etiãsi nec lux naturæ, nec lux gratiæ
comprehendat eum esse iustum, at nõ re/
cte postulas idem ius tibi.

Porrò autem, multo grauius etiã pecca 81
tum est in distinguendis opiniõibus quan
doquidem ex una facio tres. Quod qui/
dem uel insaniæ, uel temulẽtiæ uitium est
ex uno uidere plura. Imò plures opinio/
nes recenseo, quarum prima est Pelagij, 1
quam ut damnatã relinquo. Secundo lo/ 2
co recito sententiam eorum, qui sic mini/
mum tribuũt libero arb. ut tamẽ non pror
sus tollant. Dicunt enim ipsum nihil effica/
citer posse, nisi adsit gratia, uel extimulans
siue operans, uel cooperans, uel consum/
mans, & tamẽ in his omnibus fatẽtur, uel
applicationem siue conuersionem huma/
næ uoluntatis, uel cooperationẽ, nimirum
ponentes aliquã humanæ uoluntatis uim,
quæ nõnihil agit cũ agente gratia. Hæc est
opinio uel Augustini, uel Thomæ sequen
tis Augustini sententiã, quatenus minimũ
tribuit libero arbitrio. Et hãc uoco proba/

 bilem,

bilem, eo quod relinquat homini ſtudium & conatum. Atque hic multã uerborũ turbam offundis, quomodo non imputetur, quod eſt imputandum, & quomodo dicatur aliquid poſſe qd' ex ſe nihil poſſit, quũ ego in diſputatione huiuſmodi difficultatem palpabiliter, ut aiunt, expediam.

3 Tertiam quam recẽſeo, facio Carolſtadij, qui non tollit omnino liberum arbitrium, ſit interim phas hoc abuti uocabulo, quod ſi quis malit apellare Beta, aut Delta, mea nihil refert, ſed negat in bono opere quicquam agere, ſimpliciter pati, adeo ut gratia non operetur per uolũtatem noſtram, ſed in uoluntate tantũm patiente.

4 Quartã facio tuam, qui progreſſu tuæ aſſertionis negas quicquã in rerum natura eſſe liberum arbitrium, nec in bonis nec in malis quicquam agere uoluntatem noſtram, ſed abſoluta neceſſitate fieri omnia. Hanc appello omnium duriſſimam, profiteorq; mihi cum Carolſtadij, tuáque opinione potiſſimum eſſe conflictandum.

5 Nec prætereo Scoti opinionẽ, quæ putat per opera moraliter bona, per influxũ naturæ communem, hominem poſſe dei gratiam efficacem promereri de cõgruo,

quod

quod dei benignitas non patiatur quenq; interire, q modo præstiterit quod in ipso est, non quod suis uiribus assequatur salutẽ, sed aliquo pacto fiat capax diuinæ gratiæ. Hanc opinionẽ, quoniã ecclesia, quod quidẽ sciã, nondũ reiecit, ego nec defendo nec explodo. Ergo sepositis opinionibus Pelagij & Scoti, doce reliquas tres tãtum uerbis dissidere. Prima, nimirũ Augustini fatetur arbitriũ siue uolũtatem suis uiribus posse ad male agendum, nec facit hic solum deum agentem, uoluntatem tantum agi, quod tu doces, & hactenus cum Augustino sentit Carolstadius, abs te dissentiens. Etenim quum Augustinus appellat gratiam cooperantem, utiq; sensit, operari nostram uoluntatem aliquid. Deinde dum ponunt gratiam extimulãtem sed im perfectam, non excludunt conuersionem & auersionem, quum tu prorsus excludas utrunq;, inducta rerum omnium absoluta necessitate. Nec enim pugno cum tuo axiomate quod asseris, sed cum tua palinodia, qua corrigis quod initio dixeras: liberum arbitrium nihil ualere nisi ad peccandũ, & probas Vuicleui dogma. Et quidem sæ sunt sententiæ, faciũt arbitrium uitiatum,

tum, uulneratum, aut claudicans, non ex/tinctum. Manet igitur aliquod iudicium, ſed imperfectum, manet uis ſed ineficax. Vides igitur non eſſe eandem ſententiam alijs uerbis tractatam, ut tu fingis. Sed pri mam opinionem, quam aio probabilem, cõfers cum mea definitione, interim exclu ſa opinione eorum, qui per opera morali/ter bona, ſine ſpeciali gratia putant dei bo nitatem prouocari ad conferendam gra/tiam. Atqui ſic temperaui definitionem, ut huic quoque ſententiæ, quoniã damna ta nondum eſt, pateret locus. Sed finge reiectam Scoti opinionem, ſit prima Au/guſtini, qui facit extimulantem gratiam, non excludit applicationem & auerſionẽ. Pharao pulſatus ꝯperat reſipiſcere, & ni ſe auertiſſet ab extimulante gratia, non ue niſſet in profundũ malorũ. Demus & hoc iuxta Bernardũ, totũ initiũ deberi gratiæ. Certe quũ noſtra uoluntas operatur cum operante gratia, applicat ſeſe ad gratiã, na turæ uires ad gratiã operantẽ accõmodãs, ueluti quũ oriente ſole, aperimus oculos: rurſum auertit ſeſe, ueluti quũ exorto ſole, claudimus oculos. Oſtẽde igitur Luthere oſcitantiam uel hebetudinem iudicij mei.

Si

Sic agis: Dicis primam opinionem probabilem, quæ fatetur liberum arbitrium peccato uitiatum, non posse uelle bonum sine gratia. Et definitio tribuit illi uim applicandi sese ad bonũ uel auertẽdi à bono sine gratia. Definitio, inquis, affirmat, qđ exemplum eius negat, &c̃, quæ tu satis loquaciter ac procaciter. Audi cõtrà, subtilitatem tuæ calũniæ. Definio liberũ arbitrium in genere, uel ut erat conditum, uel ut est in liberatis per gratiã, uel ut est claudicans in his qui nondum liberati sunt à seruitute peccati, quid hoc ad primã opinionem, quæ pars tãtum est eorum quæ complectitur definitio: Nec definitio excludit gratiam specialem, nisi recipimus opinionem Pelagianæ proximam, quæ si tibi nõ probatur, mihi tamẽ licebat huius uti præsidijs in argumentando. Nec uideo periculum etiamsi quis eam tueatur. Deinde nõ animaduertis, quod facio duplex uelle, siue duplicẽ nisum ad honesta efficacem & inefficacem, Inefficax est etiã in obnoxijs peccato, p influxũ cõmunẽ iuxta quosdã, iuxta alios nõ sine gratia, sed imperfecta q̃ nondũ quidẽ abolet peccatum, sed tamen præparat ad efficacem gratiã. Nec me mo-

uet,

uet, quod tu nihil pateris esse medium, sed aut deũ facis sessorẽ, aut satanã, impudenter enim adducis ad me refellendũ, quod erat euincẽdum. Meministi, quod diximꝰ de lumine, & Euãgelicus ille cæcus, primũ nihil uidet, deinde uidet homines uelut arbores ambulãtes, mox clarẽ cernit omnia.

82 Verum hæc aliâs, nihil enim hic asſero. Iam uides ex his quæ diximus soluta, quæ pximo capite repetis & inculcas, nõ absq; petulantia conuiciorũ. Accipis unã partẽ definiti, hoc est, liberũ arb. peccato uitiatũ, & cũ hoc confers unã opinionẽ. Applicare se ad bona, bonũ est, igitur liberum arbitrium potest ex se bonũ. Fateor si loquaris de bono morali, fateor rursus si loquaris de bono pietatis, modo coniungas gratiam præparantem siue extimulantem: ueluti quum ex lectione sacra, aut ex audito Ecclesiasta, sentimus animi motum ad amorem pietatis, & odium turpitudinis. Hanc non excludo nec in definitione, nec in recẽsendis opinionibus. Tantum excludo Pelagij sententiam, Carolstadij & tuam. Vbi sunt igitur duo libera arbitria inter se pugnantia? An secum pugnat genus quod in se complectitur diuersas spe-

cies,

cies,& negabis asinum esse animal, quod ex ratione differētiæ ac proprij pugnet cū homine? Aut ex una crumena faceres duas, quod in eadē sit aurū & argētum? Nō hic igitur captus est Proteus, sed ipse Proteum agis studio calumniādi, teipsum uertens in omnia, quum libet, me quoq; subin de alium atq; alium faciens, utcunq; tibi uideor accommodus calumniæ tuæ spiculis. Fateor secūdum unam opinionem hominis uoluntatem pecccato corruptam, quatenus corrupta est, nō posse se flectere ad bonam frugem sine speciali gratia, siue illa sit efficax, siue extimulās. Fateor in his qui per baptismum & fidē liberati sunt, uoluntatem hominis ex se esse proniorē ad malum quàm ad bonum. Et fateor secūdum unam opinionem, uolūtatem humanam ex naturæ uiribus se posse cōuertere ad studia, conatus & opera: quæ si quis cōtendat esse mala & iram prouocātia, negabimus: si quis neget esse bona, quod absq; gratia facta, cōcedemus, si modo fateatur moraliter bona, prouocātia dei gratiā efficacē. Non igitur mecū pugno, si iuxta diuersas sententias diuersa dico. Nōdum enim hic pronuncio quid sentiam, sed rudi lectori

futuræ

futuræ disputationis materiam congero. Proinde triumphus quem hic agis, reseruandus erat tibi circa finem disputationis, ubi pronuncio quæ sententia mihi ex omnibus potissimum arrideat. Hic tantum accingor ad pugnam. Quando uero in te uociferatus sum, quod fatereris liberum arbitrium, obnoxium peccato, non posse se flectere ad meliora, sine auxilio gratiæ? Quin illud potius damnaui, quod doces nullum esse hominis arbitrium, nec in bonum nec in malum, neque prorsus quicquam operari, uel bonæ rei uel malæ, neque cum gratia neque sine gratia, quod nusquam legis apud Augustinum. Deniq; quum hic tantum uerborum incassum fuderis, planeq; quod aiũt, aërem uerberes, tamen tuo more quasi re strennue gesta triumphum adornas. Et uereris ne nemo tibi sit habiturus fidem, referenti tantas absurditates, tã multa inter se pugnantia, Legat inquis, hoc loco Diatriba, & mirabitur, Legatur inquam hoc loco Diatriba, & ptinus mirabit, qui legerit in Euãgelij pcone tã malicioſum calũniandi studiũ. Tedet cætera referre q illic glorioſe detonas. Similis intẽperãtiæ, sunt quæ cõgeris

proximo

proximo capite, qui consistit ut agat ali- 83
quid liberum arbitrium, & tamen summa totius imputetur gratiæ. Istud quũ in fine disputationis multis uerbis explicẽ, quid opus erat hic tẽpus inanibus uerbis terere? Imputari nõ debet qa quicquid potest homo naturæ uiribus, gratuitũ dei donũ est. Nec hic opus est cõmẽto dialecticorũ de uolũtatis hũanæ uelle absoluto, nullo bõi mali ue habito respectu, qd hic dãnas, pbaturus si pro te faceret. Quid ẽm absurdi, siquis docẽdi gratia proponat absolutũ quod in re absolutum non est? Quomodo igit philosophi disputãt de prima materia, deq; puris elementis, & mathematici de formis abstractis à materia? Nec tã iprobabile est, quàm tu uideri uis si quis tribuat uoluntati nostræ uelle purũ, sic ut obiectũ nõ consideret sub specie boni aut mali, sed entis tantum, aut alicuius quod per se medium sit, etiam si non desint qui negent quicquàm esse medium. Quàm ubiq; molesta tua loquacitas, ut arbitrer nullum Bolanum esse cerebri tam felicis ut tuum æs uere Dodoneum ferre possit, quum extrarem dicas omnia, nec tamen

t ullam

85 ullū facias dicendi finē. Excussisti primā opinionē, quæ est Thomæ uel Augusti/ni, quū tu nunc secundā facias Augustini quæ est Carolstadij, q negat hominis uo/lūtatē in bono opere quicquàm agere, in malo fatetur. Atq; hinc conijcere licet & dextre rem tractes, qui confundas etiam sententiarum distinctiones, ego inter eas quas non reijcio, Pelagianæ sententiæ op pono sentētiam Augustini ut longissime discrepantem: comparo sententiam Sco/ti, ut proxime accedentem. Relege diatri/bā, & sic comperies. Augustini sententiæ subijcio Carolstadij, quā appello duriorē, eam tu nūc uelut multiloquio temulētus facis Augustini. Tertio loco pono tuā & Vuycleui, quā appello durissimā, cū po/stremis duabus dico potissimū mihi pu/gnā fore, hoc est cū Carolstadij ac tua. Re stitisi te in uiā. Nūc superest ut nobis de/monstres, duas posteriores opiniones eas dem esse cū prima. Augustinus dū ponit gratiā cooperantem, fatetur et liberū arbi trium aliquid agere in bono opere, Carol stadius affirmat nihil aliud & pati. Tu do/ces nec in bono nec in malo quicq; agere

nec

nec ante gratiã nec post gratiã, sed ꝓrsus ac simpliciter esse uocabulũ ĩane, hæc snĩa cũ prima pugnat & plus dicit q̃ secunda. Et hic prorsus ἀπ' ὄνου qd' aiũt delapsus, uel ἀπ' νοῦ potius, nec intelligẽs quid loquaris, deierationibus agis. Testor, inquis, deum nihil aliud uolui dicere, nec aliud intelligi per uerba duarũ postremarũ opinionũ, q̃ id quod dicit̃ in prima opinione, nec Augustinũ aliud uoluisse arbitror, nec aliter ex ipsius uerbis intelligo, q̃ qd' prima dicit opinio, ita ut tres opiniones à diatriba recitatæ apud me nõ sint nisi una illa mea sentẽtia. Si qd' à me tã sine mẽte dictũ fuisset q̃ ista dicũtur tibi, quibus cõuitijs me urgeres? Qñ faceres insultandi finẽ? Nec tamẽ desinis tergiuersari, & redis ad ueterẽ causationẽ noĩs quã sæpius iam exclusimus, nec uno respõdimus modo. Videris ipse sensisse errorẽ tuũ, nec tñ libuit dispũgere qd' scripseras. Proinde ab hoc capite nõ discedis ut soles, triũphabũdus, sed ueluti gallus demissis alis temet subducis. Si hic inquis, erro, reuocet q̃ põt, si sunt hæc obscura & ambigua, illustret et stabiliat q̃ põt. Hic rep̃hẽsorẽ admittis et illustratorẽ

quum in fine repellas omne iudicium.

86 Attamen proximo capite resumis animos. Sed facessant inquis monstra uerborum. Quis enim ferat istũ abusum loquendi? Totidem uerbis tibi tuas uoces recinit echo. Sed facessant monstra uerborũ, quis enim ferat istum abusum loquẽdi? De abusu receptæ uocis litiga cum Hilario, cum Ambrosio, cum Augustíno, cum Hieronymo. Hic proposueras te dicturũ tres opiniones nihil inter se discrepare, et hoc omisso cauillaris de nomine liberi arbitrij. Nec adhuc desinis affirmare quod est manifeste falsum. Itá ne est eadem sententia, liberũ arbitrium cooperari gratiæ, & tantum pati in opere bono, in malo tantum agere, & nec in bono nec in malo quicquã agere, sed deum solum operari quicquid agitur seu boni seu mali? Tu sic colligis: Post peccatum uoluntas hominis non est libera nisi ad malũ, absq; gratia, igitur amissa libertate succedit seruitus. Negari non potest. Vbi seruitus est, ibi est mera necessitas: & ubi necessitas, ibi nihil agit liberũ arbitriũ: si nihil agit, patitur tantum. Tua Grammatica non potest amissam sanitatem uocare sanitatem. Verum ut simul & meam

meam definitionem tuear, & ista tua tam perplexa discutiam, proponam rei summam nudis aphorismis: Volũtas in homine, quemadmodũ & in angelis, sicut erat condita, libera erat ad bonum & ad malũ, sic ut adhærere potuerit oblatæ gratiæ, sine speciali præsidio nouæ gratiæ ac semet auertere potuerit à gratia. 1

Post lapsum primorum parentũ, naturæ libertas uitiata est non extincta. Resedit autẽ in illis aliqua scintilla rationis discernens honestum ab inhonesto, item aliquis nisus uoluntatis, refugiens à turpitudine, & quodãmodo gestiens ad honesta. 2

Verum hic nisus & ratio inefficax est, sine speciali gratia, iuxta quosdã: iuxta alios tantũ ualet, ut per opera moraliter bona, possit de congruo promereri gratiam, uel præparantem, uel etiam iustificantem: quã sententiã non arbitror ab Ecclesia damnatam, Licet nec illam superiorem improbauerit: sed hic permittit unumquenq; abundare in suo sensu. 3

Liberati per gratiam, sunt in eodem statu quo fuit homo primum conditus liber, uidelicet ut se possit applicare ad oblatam gratiam, & possit auertere se ab eadem, ni- 4

si quod ex peccato Adæ, aut ipsius etiam resideat in eo caligo quædam rationis, & procliuitas quædam ad peccandum, quæ tamen nō adimat libertatem, sed exerceat pietatem.

Hæc applicatio aut auersio locū habet ad utranq; gratiā extimulantem quam diximus, & iustificantē. Applicat aūt sese uoluntas, quū se præbet gratiæ, simulq; naturæ uiribus nitit ad eadē ad quæ uocat gratia, Auertit sese quoties neglecto spūs sibilo, uertit sese ad cupiditates carnis. Itidem gratiæ iustificāti applicat sese, quū illi in se se potenter operanti, pro naturæ uiriculis cooperat, & auertit sese, quū neglecto dei dono reflectit sese ad carnem.

Ad has omnes opiniones quarū nulla damnata est ab Ecclesia, ni fallor, & ad omnem hominis statū quadrat mea definitio, quam ideo feci generalem, ut omnia cōplecteretur quæ sunt probabilia. Nihil igitur agis, cū hanc aut illam opinionē urges cum definitione aliò detorta.

Pone hominē in statu quo fuit cōditus, quadrat definitio. Hic tu urges libero arbitrio post lapsum uitiato. Pone eum in eo statu in quo est adolescēs, qui puer per baptismum

ptiſmum accepit habitū fidei, & purgatus eſt à peccato protoplaſti, necdum admiſit aliquod crimē per quod amittitur gratia, quum tamen iam per ætatem habeat mali boniq; diſcretionem, quadrabit mea definitio, poterit enim ſeſe applicare ad gratiā & auertere à gratia. Applicabit autē ſi naturæ uiribus eōdem contendat, quò ducit gratia, auertet, ſi ſpreta dei gratia deflectat ad carnem.

Deniq; pone hominē in eo ſtatu in quo fuit Adā poſt uiolatū dei præceptū, hic fortaſſe uidebit nō quadrare mea definitio, q̄ ſemel addictus peccato, nihil aliud poſſit, q̄ ſeruire peccato. Vbi igitur uis applicandi & auertendi? Iuxta quorundā, inquam, opinionem reſidet aliqua libertas, qua ex naturæ uiribus abſq; ſpeciali gratia per opera moraliter bona poſſit exambire gratiā iuſtificantē. Hic oppones tua paradoxa, ſed iſta tibi probanda ſunt priuſq; nos per illa coarguas. Iuxta aliorū opinionem quæ eſt Auguſtini, poteſt applicare ſeſe ad gratiā extimulantem ac reuocantē, ac rurſus eam ſpernere. Vides hic aliquid libertatis, Rurſus poteſt ſe præbere gratiæ iuſtificanti, poteſt ab ea ſeſe auertere. Et for-

taſſe non abſurdum fuerit ponere mediũ quendã ſtatũ inter iuſtitiã & iniuſtitiã, ue/luti quũ homo naturæ uiribus cõtendit ad promerendam gratiã, uel excitatus gratia ſtimulante, quam imperfectã dicimus, ap plicans naturæ uires ad eam gratiam, con tendit ad innocentiã. Is nec omnino uide tur iniuſtus, qui tædio ſuæ iniquitatis con/tendit ad iuſtitiã: nec omnino iuſtus, qui nõdum aſſequutus ſit innocentiam. Et in huiuſmodi ſtatu medio diuus Auguſtin⁹ uideẽ ponere Corneliũ, in quo fuit utrun/que ſed imperfecte: ueluti qui properat ad aſylum, nec omnino tutus eſt, nec prorſus hæret in periculo, ſed quo longius recedit à periculo, hoc ſaluti propior eſt. Hic occi nes ſubitũ raptum ſpiritus, quem ego non nego, ſed loquor interim nõ quid aliquan/do faciat aut facere poſſit deus, ſed qd ge/neraliter faciat in nobis. Quanquã hac de re ſuo dicetur loco. Cum his confer tres il las ſententias, quas tu conflas in unam, in/uenies ſolam primam eſſe ueram. Etenim Auguſtinus quũ facit gratiam operantem & cooperantem, ſatis fatetur eſſe liberum homini applicare ſe ad gratiã extimulan/tem, ſi naturæ uires ad eam accõmodet,

eum

eum conatum imperfectū, adiuuat & abo/
oluit gratia cooperās, quæ cooperans nō
recte diceretur, si nihil omnino operaretʒ
noſtra uolūtas, quod negat Carolſtadius.
Multo minus uerum eſt quod tu aſſeris,
hominis uolūtatem nec in bonum nec in
malum quicquam poſſe, ſed meræ puræq;
neceſſitatis eſſe omnia. Nam hanc opinio
nem uoco tuam, quam in Vuycleuo da/
mnatā probas. Quid igitur reſtat niſi no/
minis controuerſia? Liberum arbitrium
proprie cōgruit deo. Eſto, ſed ſic abutimur
alijs multis nominibus, ſapientis, boni, po
tentis, immortalis. Verum quum eſt per
peccatū amiſſa libertas, iam inane nomen
eſt, quemadmodum in ægroto amiſſa ſani
tas, non eſt ſanitas. Fateor hic aliquem ab
uſum uocabuli, ſed quem mihi non debes
imputare, nec tamē abſurde manet in pec/
catore ratio nominis: quemadmodum in
bello captis ingenuis manet libertatis ap/
pellatio, propter natiuam conditionem, et
ſpem redituræ priſtinæ libertatis. Denicq;
ppter reliquias priſtinæ libertatis quæ reſi
dent in homine, etiam poſt admiſſum pec
catum: quæ non ideo nihil ſunt, quod per
ſe non ſufficiant ad recuperandam liberta

tem, satis est quod aliquid agant suis uiri/bus, & peragãt etiã auxilio gratiæ. Tu per/ditã sanitatẽ, mortẽ facis. Manet in ægro/to nonnulla naturæ uis, utcunq; pugnans cũ morbo, sæpe uincẽs absq; medici præsi/dio. Sic rationem à peccato facis omnino cæcã, ego lippientem aut luscioſam facio. Neq; enim prsus cæcus est, qui ob pituitã cæcutit, neq; prorsus mortuus est, qui cum morbo luctat. Iam si placet accerse cõmo/dum illum congerronẽ sophistã, eiq; pro/pone collationem de lapide, qui natiua ui fertur deorsum, sursum uero non nisi uio/lento impulsu, & roga an lapidi tribuat li/berum arbitriũ, fortasse non tenebit risum & respõdebit: Lapidem esse qui talia per/contetur, Lapis enim sicut omnia grauia quæ ratione carent nõ habet nisi unicum impetum naturalem: at liberum arbitriũ ut conditũ est, erat utrôque uertibile. Di/ces de corrupto loquimur, feremus si mo do in disputãdo memineris tale fuisse con ditum, & hinc nominis rationem mane/re, licet re partim amissa. Post peccatum autem originis, sed magis etiam perso/nale, ut libertas non est in totum amissa, ita nõ est absoluta seruitus. Cæcutientia indu

cta

cta est, nō cæcitas, claudicatio inducta est, non exitium, & uulnus inflictum est, non mors, & languor accessit, nō interitus. Manet enim aliqua rationis scintilla, manet aliqua propensio uoluntatis ad honesta, licet inefficax. Nec ideo nihil est, quia per se non sufficit ad recuperandam pristinam libertatem: sed ut uulneratum ac languidum, non ualet quidem quod poterat, ueruntamen uirium qualescunque reliquias accommodat erigenti gratiæ: nisi forte dicis puero nihil esse uirium quod solus nequeat mouere plaustrū, quod facit connitens robustiori. Quare serua lapideis hominibus istam de lapide comparationem, neque proferas huc tam ridiculas collectiones: Nullum est omnis, & nihil est omnia. Quid autem si Scoticus sit ille sophista? Nónne statim obturabit tibi os? Nisi forte commodum uocas, qui commode respondeat ad tuas peroptationes. Postremo quod ad uocem attinet, Thomas fortasse concederet post peccatum non dici proprie liberum arbitrium, sed idem simpliciter nihil esse aut nihil agere cum agente gratia, negabit.

Hæc sunt quæ in uestibulo disputationis

lectori

lectori ꝓpoſueram, quo paratior eſſet ad reliqua percipienda. Nam rudioribus illa ſcribere me ſum profeſſus, & tu nondum opinor lecta tota Diatriba, ſic cū hac par/te congrederis, quaſi iam pronunciarim. Eadē iniquitate diſcutis teſtimonia ſcriptu rarum à me tractata, q̄ſi in ſingulis definie rim. Imò teſtificor me ꝓponere hinc atq; hinc diuerſa teſtimonia diuinæ ſcripturæ, quæ uidētur inter ſe pugnare, & illæ ſeque læ quas tu ſic exagitas, nō ſunt definientis, ſed argumētātis, nō docētis ſed pugnātis, ut ex colliſione teſtimonioꝝ & interpreta tionū eluceſcat ueritas. Et interim utor iu/re pugnantiū, iniquū petens nonnunq̄ ut æquū feram. Etenim q pugnat, frequenter hoc agit, nō ut prōnūciet quid ipſe ſentiat, ſed ut illaqueet ac proſternat aduerſariū. Proinde nō raro falſis aſſumptionibus uti tur, ſed ab aduerſario cōceſſis, & ex his col ligit, pluſq̄ habet ueritas, quo magis aduer ſarius intelligat ſe eſſe uictū, iāq; cōtra pu/gnare deſinēs, cupiat doceri. Tum q docet lōge alijs modis agit, q̄ dū pugnabat. Sed iā dudū ipſa tpis anguſtia cogit me diſpu/tationē hāc abrūpere. Quod ſupereſt accu ratius & p ociū tractabit. Et uide, te quæſo,

quantū

quantũ tẽporis, quantũ chartarũ & operæ nobis iam perijt, in refellẽdis tuis cauillis, cõuicijs & calumnijs. Poteras tua cum laude, nemine læso, fortiter tueri dogma tuũ, idq; merebatur meæ Diatribæ modestia, quæ quo magis friget ac stertit, sic em̃ interpretaris meã ciuilitatẽ, tanto minus merebat tam impotẽtẽ calami tui fæuitiã. Nũc dũ nihil non torques ac rapis ad calumniã & conuicia, perdis bona ex parte & tuũ & meũ & lectoris ociũ: & adeo nõ cõcilias tibi fidẽ, ut dũ hic declaras animi tui morbũ etiã illa fide careant apud plurimos, quæ recte uel doces, uel mones, uel inculcas, qualia fateor esse pmulta in scriptis tuis. Nã q̃ res inuitabat te ut hoc quoq; calũniareris de quo nũq; mihi uenit in mẽtẽ? Ais à me morderi ridericq; canonẽ Hebræorũ. Hoc est unũ calũniæ caput. Alterũ est quod cũ ambiguo scõmate uoco canticũ canticoꝝ, canticũ amatorium. Tertiũ, quod puerbia Salomonis & canticũ, cõfero cũ duobus libris Esdræ, Iudith, historia Susannæ & Bel draconis. Hic ubi ne somniũ qdẽ fuit ullius mali, tu fingis tria magna crimina. Referã ex Diatriba locũ quo magis agnoscas, q̃ hic præter omnẽ causam criminaris. Sic

habet

habet. Nō puto quēq; excepturum hic ad uersus autoritatē huius operis (de libro lo quor, q inscribit ecclesiasticus) quod ut in dicat Hieronymus, olim apud Hebræos non habitū sit in canone, quū eccl'ia Chri sti magno consensu receperit in suū cano nē. Neq; causam uideo quur Iudæi librum hūc à suo canone iudicarint excludendū, quū parabolas Salomonis, & canticū ama toriū receperint. Etenim quod duos poste riores libros Esdræ, historiā apud Danielē de Susanna, ac Belo dracone, Iudith, He ster, aliaq; nōnulla non receperūt in cano nē, sed inter hagiographa numerarint, qd illos mouerit, facile diuinat qui libros eos attentius legerit. Cæterū in hoc opere tale nihil obstrepit lectori. Hactenus Diatri bes uerba recensui. An mordeo rideoq; ca nonē Hebræorū, quod negem mihi lique re ꝯobrem ecclesiasticum excluserint à ca none? Erat quur illud opus haberi cuperē in primis dignum canone, & tñ nihil aliud dico, quàm me nō perspicere causam, qua re Hebræi non receperint, quū ecclesia re ceperit, certe inter hagiographa. Tu for titer pronūcias librū Hester, quū apud He

bræos

bræos sit in canone, digniorē cæteris omnibus, qui excluderet à canone. Vter igit̄ ridet ac mordet canonē, ego q̄ nego me uidere causam, quur ecclesiastic̄ nō receperint in suū canonē, an tu q̄ iudicas librum Hester minime dignum canone, simul damnans & Hebræos & ecclesiæ canonem, cū Hebræorū canone cōsentientē? Tantū ad primū crimen. Alterū nihilo uerecūdius. Appello canticū Salomonis canticum amatoriū. Finge nullam hic esse causam, quur sic appellarim, nisi quia libuit, aut ut Latinius dicerem, quid erat ambigui scommatis, an non est canticum amatorium? An amor semper in malū sonat? Nunc uide causam quur ita maluerim dicere. Quū enim duæ particulæ, ad dictionē Salomonis referrentur, uidelicet prouerbia & canticū, si dixissem canticū cāticorū, dure sibi cohæsissent duo genitiui, Salomōis & cāticorū, uidererq̄ sentire Salomonē alia multa scripsisse cantica. Si simpliciter dixissem canticū, poterat aliquis suspicari me de cāntico quopiam loqui qualia sunt in psalmis, idcirco ex opis argumēto addo cognomē amatoriū. Ego de hoc cantico nūq̄ pcius sensi q̄ de puerbijs, de q̄bus optime sentio.

Quæ

Quæ fuit igitur occasio calũniandi? Et ni fallor, hoc telũ mutuat? es ex libris Lei, q tibi nũc opinor, incipiũt placere. Iã tertiũ crimen tuũ habet manifestã uanitatẽ. Nõ enim cõfero prouerbia & canticũ cũ duo/bus libris Esdræ, Susannæ Belicꝫ draconis historia, sed cũ ecclesiasticõ qui simile tra/ctat argumentũ cũ prouerbijs, atcꝫ in his quos reiecerũt aio diligenti lectori aliqd obstrepe, quur recepti nõ sint. In eccleſia/stico, non uidetur simile quicꝫ obstrepe/re. Quod si in ecclesiastico nihil obstrepit, multo minus in prouerbijs aut cantico. In his tã friuolis refellẽdis nõ erã sumpturus hoc opæ, nisi ut te ab ista īmodica nihil nõ carpendi libidine reuocarẽ. Quæ si me tã tũ læderet, iactura sane tenuis esset, aut si tibi uni noceret, tolerabilior esset, nũc non solũ obstat causæ quã agis, agis aũt ut af/firmas negociũ Euãgelij reuocãdi, qd' ha/ctenus in orbe fuit sepultum, uerum etiã exitiũ omniũ bonarũ rerũ secũ adfert ista calami tui seditiosa petulantia. Cõcitatus est populus aduersus episcopos & princi/pes, magistratus ægre cohibẽt plebeculã nouarũ rerũ auidã, atrocibus odijs inter se

dissi

dissident ciuitates, quæ prius erant coniũctissimæ, uix inter homines nũc inuenias cui tuto fidas, libertas omnis adempta. Nã principũ, præsulũ, theologorũ, ac monachorũ tyrannidẽ, sic enim uocare soles, nõ sustulisti, sed iritasti. Quicqd fit aut dicit rapit in suspicionẽ, & de quibus prius licebat in utrãlibet partem disputare, nunc ne hiscere quidem phas est. Seruitus quam parabas excutere, conduplicata est, iugũ adgrauatum est, catenæ non excussæ sed astrictæ. Olim nemo faceſſebat negociũ, si quis domi suæ pro ualetudine comedisset, quæ conueniebant: nunc etiam si multas habeas edendi causas, nec desit pontificis diploma, tamen Lutheranus dicitur qui uescitur. Olim Romanus Pontifex facile relaxabat legem ijs, qui per imbecillem ætatem & nondum usu rerum ac iudicio prudentem, facti fuissent monachi aut monachæ, nunc ad relaxandum difficillimus est. Frigent ubique discíplinæ liberales, unà cum linguis ac bonis literis, quas tu grauas intolerabili inuidia. Reijciuntur egregia ueterum monumenta, & pro his mũdus impletur rixosis ac fãmosis

u

ſis libellis, ex quibus morbi uirus ſerpit ad lectorem. Noui aliquot uiros bonos ac doctos, qui initio non inuiti legebant tuas lucubrationes cognoſcẽdi iudicandiq; ſtudio: tandem coacti ſunt reiicere, quod faterentur ſeſe inficí tot ſannis, ſcommatis, dicteriis, conuiciis, calumniis parum Chriſtianis, quibus doctrinam tuam contamínas, nõ aliter quàm ſolẽt ĩ, qui capos aut phaſianos infarciunt allijs. Et primũ iſta titillationẽ quandam habẽt ac pruritum, uerum ubi ſenſim irrepſerint in animos, inficiũt ſyncéritatem ac manſuetudinem pectoris. Et quum uideas quantum malorum in orbem inuexerit iſta tua feroci/a, quum toties admonitus ſis etiam ab ijs qui tibi bene uolunt, tamen uſque profi/cis in deterius: & eos fruſtra trahens in periculum, qui ſe tuæ fidei crediderunt, & illos abalienans, quos poteras ad te pelli/cere (. Iam ẽm rurſum fingo tuam doctrinam eſſe catholicã), deniq; obſiſtẽs, quo minus hic mundi tumultus utcũq; natus, aliquando nobis pariat aliquid bonæ trã/quillitatis. Innumeros abſtraxiſti à ſuis præſulibus, qui nunc oberrant uelut oues diſſi/

dissipatæ non habentes pastorem, præ/
sertim quum uideant tuam ecclesiam tan/
tis dissidijs concuti, & intestinis bellis tu/
multuari. Et inter hæc adhuc uacat tibi tã
tos libros, tam operose maledicos, scribe
re, in hominem cuius animũ prorsus igno
ras, si modo talem esse iudicas, qualem fa
cis. Si liberis & apertis cõuicijs debaccha
tus fuisses, simplicitas laudari poterat,
aut tuo genio condonari, nunc arte mali/
ciosa rem geris. Si duobus aut tribus cõui
cijs cõtentus fuisses uideri poterant exci/
disse, nunc liber totus undique scatet ma/
ledictis. Hinc incipis, p hæc pergis, in hæc
desinis. Si temet expleſſes uno cõuitiorũ
genere, subinde stipitẽ asinum, aut fungũ
me appellans, nihil aliud respondissem, cꝫ
illud è comœdia. Homo sum, humani ni/
hil à me alienum puto. Hæc non poterãt
saturare tuum odium, nisi me faceres Lu
cianum & Epicurum, adeo non creden/
tem scripturis diuinis, ut ne deũ quidem
ullum esse arbitrer, hostem christianismi,
denique blasphemum in deum & Chri/
stianam religionem. Huiusmodi lepori/
bus respsus est tuus liber, oppositus meæ

díatribæ, in qua nullum erat conuícium. Iſtam tam peruerſam opinionem ſi quis ſuſurro leuis ac mendax, qualibus abun/dat tua ſodalitas, ad te detulit, uide quàm conueniat tanta leuitas perſonæ, quam ti bi ſumpſiſti. Si ex tuo ipſius animo con/cepiſti, quis credet eum eſſe bonum ui/rum, qui de homine incognito tam atro/cia ſuſpicetur. Sin iſta lædendi mei ſtudio comminiſceris, nulli poteſt obſcurum eſ/ſe, quid de te ſentiendum ſit. Quoniam autem meæ lucubrationes palàm recla/mant tuis calumnijs, ubique ſacrarum lite rarum maieſtatem & Chriſti gloriã præ/dicãtes, negas illa mihi ex animo ſcripta. Expedita ſolutio, ſi quicquid calumniari non potes, ioco ſcriptum eſt: ſi quicquid patet calumniæ, ſerio ſcriptum eſt. Et hu=iuſmodi diſtinctiões tibi ualebũt ad crimi nandum, qui ſophiſticas diſtinctiones exi bilas, repertas ad docendũ. Quæſo quod eſt iſtud ingenium, aut quæ natura, ſi qui/dem natura eſt? Aut quod ſpirituum ge/nus, ſi ſpiritus eſt? Aut quæ tandem Euã gelij docendi tam non Euangelica ratio? An renaſcens Euãgelium ſuſtulit omnes

leges

leges politicas, ut iam liceat quælibet in quemuis & dicere & scribere? An hæc est tota libertas, quam nobis restituis? Si quis mihi detrahat ingenium, iudicium, eruditionem, moderate ferã: si quis impingat imperitiam scripturarum aut incogitantiam, humanum crimen agnoscam: uerum si quis mihi impingat neglectũ dei, aut contemptum scripturarum, is aut id facit ex delatoris cuiuspiam oratione persuasus, & leuissimus est, aut intolerabilis est sycophanta si ex sese confingit. Hic quid tibi loquatur tua conscientia tute uideris. Ego iudice deo, cuius iram non deprecabor, si quid hic sciens fefellero, uolo hoc omnibus Christianis, hæreticis, et semichristianis esse testatum, me scripturis diuinis nõ minus habere fidei quàm si Christum ipsum sua uoce mihi loquentem audirem: minusq; dubitare de his quæ ibi lego, quàm de his quæ auribus audio, oculis uideo, manibus contrecto. Et quemadmodum certissime credo per Euãgelium exhibita quæ legis figuris & prophetarũ uaticiniis, per spiritum sanctum fuerant prædicta: ita pari certitudine credo, secun-

di aduentus promissionem, ac diuersa ma/
lorum bonorumq; præmia. Et hac fiduci/
a fretus, labores, iniurias, morbos, senectu/
tis molestias aliaq; huius uitæ incommo/
da patienter fero sperans per Christi mi/
sericordiam, malorũ omniũ finem, & cum
ipso uitam æternam. Tãtum autem abest
ut sciens oppugnem Euangelium, ut ma/
lim decies occidi, quàm contra animi sen/
tentiam oppugnare unum iota ueritatis
Euangelicæ. Nec hic animus mihi nuper
natus est, nũq; alius fuit à puero: & hodie
firmior est, gratia deo, quàm unquàm fu/
it. In salutis negocio non aliunde flagito
præsidium quàm à misericordia domini,
neq; secundum deum, ulla in re plus ha/
beo uel spei uel solatij, quàm in sacris lite
ris. Et quemadmodũ in lucubrationibus
meis nõ nego potuisse fieri, ut alicubi scri
ptura germanum sensum non attigerim,
ita sanctissime deierare possim, me scien/
tem nec in gratiam hominis, nec ob metũ
hominis usquàm docuisse secus q̃ sentirẽ,
saltem opinione probabili. Qui mecũ do/
mesticam habuerunt cõsuetudinem, si nõ
sanctimoniæ, quam desidero potius q̃ ha/
beo

beo, certe huius animi possunt esse testes, qui nũquàm effutiuit uerbum uel ioco uel serio quod saperet Lucianum, Epicurum aut Porphyriũ. Ineptum erat hæc testificari scripto, nisi Lutherus Euangelij uindex, accurato libro talibus facetijs uoluisset in Erasmũ amicũ ludere. Nũc si qs malet habere fidẽ illius ipũdẽtissimæ criminationi, qui me nõ nouit, cẽ meæ testificationi, suo piculo faciet, me liberabit hæc animi mei declaratio. Præcor aũt ut in animis oĩm regnet Euãgeliũ Chri cedatq; huic oĩs intellectus ac potestas hũana, tantũ abest ut ipse bellígerari uelim cũ cœlesti doctria. Simul & tibi precor Luthere, ut dñs innouet in te spũ bonũ, quo quãtũ hactenus potuisti ad turbãdã orbis Christiani cõcordiã, tãtundẽ ualeas ad trãquillandã ecclesiã dei, ut idẽ sentiẽtes, uno ore prædicemus, illũ cuius doctrinam nũc dissipari ore asserimus. Hic ígit prioris ac tumultuarij uolumĩs finis esto. Alterũ breui dabitur, sed accuratius, si modo Christus adesse dignabitur.

FINIS.


IOAN. FROB.

D. ERASMI

ROTERODAMI IN CEN-
suras erroneas Natalis Bedæ Elenchus.

Hic liber iuxta expurgationem ab Antonio Possevino praescriptam pag. 456. in Desid. Erasmo expurgatus, adeoq; legi permissus est. F. I. E.



ERASMI ROTERODAMI IN NATALIS Bedæ censuras Elenchus.

I Natalis Beda tantum synceri pectoris habuisset erga me, quantum gerebam erga ipsum, non ita præcipitasset suas censuras, ea re melius consuluisset, tum utriusq; nostrum honori, tum studiorum utilitati, tum theologici nominis dignitati. Saltem à manifestis mendacijs & euidentibus calumnijs temperasset. Ante annum fermè misit ad me locos aliquot notatos, egi gratias ex animo, rogans adderet tribus uerbis quid offenderet, qd'in multis ne cõiectare quidẽ potui quid improbaret. Obticuit. Quũ multis indicijs colligerem animum illius exulceratum, misi notationes illius ad sacratißimã facultatẽ Theologiæ Parisiensis, cum explicatione mentis meæ, & si cubi res posceret defensione, hac lege ut si mea responsio non satisfaceret, ex illorum admonitione uel corrigerem uel explicarem quæ offenderent. Quod si mihi fuisset animus insectandi Bedam, poteram annotationũ defensiones hic ædere. Id utinam esset factũ. Beda admonuit, sed censuras suas ante exhibuerat præter alios senatui, & admonuit Theologus, sed theolo

gum professione parem, in quibusdam ipsi imparem, in quibusdam fortassis et superiorem. Sed fingat quã tumuis inferiorem, si ideo non sum illi theologus, quod sim inferior eruditiõe, nec ipse multis erit Theologus, quod non pauci sint ipso doctiores. Audiuntur in publicis confessibus parricidij rei, & frater admonẽs fratrem nõ potest audire fratrem ætate grandiorem & priuatim & comiter satis facientẽ? Si quis Theologus diceret me Manicheum, quod nomẽ execror, num piaculum esset si crimen falso intentatum depellerem, si mul & meæ famæ consulens, & aliorũ saluti, q̃ meo exemplo traherentur in periculum, aut in errore confirmarentur. Sed non est animus hic ingredi disputatio nẽ ex qua nõ uideo quid boni fructus queat proficisci. Omisit quasdam è censuris ex mea responsione, quũ tam multas reliquerit quæ manifestam habent uel uanitatem uel calumniam. Sunt odiosa uocabula fateor, minimũq; congruentia Theologo, sed utinã his rebus essent nomina ciuiliora. Fortassis animũ mentiendi calumniandi ue non habuit Beda, sed tamẽ utrũq; factũ ex libris illius, uelut indice demonstrabo. In præfatiõe dicit me nulli monitorum unquam paruisse, quum præter alios ex admonitione Lei quædam mutarim, nonnulla etiam perperam, quæ Leus ipse recensuit in suo indice, ne quis dicat me fingere, multa ex calumnijs Stunicæ, quæ ipse libris æditis nũerata exprobrat, &

Primũ mendacium.

hic

hic quoq; nimiũ facilis. Nam quod ex illius scriptis di xeram, Christum non debuisse parentibus obedientiã, nimiũ obsequẽtis erat. Deniq; ex ipsius Bedæ notulis quædam correxi in Paraphrasibus nuper excusis. An uerũ igitur scribat Beda me nulli parere, uiderint alij.

1 Propositio prima manifestum habet mendaciũ. Ait me tradere nõ omnes epistolas Paulo inscriptas illius esse, quũ ego nihil aliud dicam, quàm de quibusdã fuisse dubitatũ, inter quas est epistola ad Hebræos. & epistolas ad Senccam, item ad Laodicenses illius non opinor esse.

Et illud plane falsum est, oẽs doctores nihil dubitasse de epistola ad Hebræos, quod multis locis declaraui, & indicaui Bedæ locum, quem debebat legere. Et hæc censura quæ cõplectitur duo manifesta mendacia uoluerat meã propositionẽ temerariã & schismaticam.

Ad tertiam quum expedite responderim, tamen Beda dißimulat, quo poßit temeritatis & hæresiarchæ inania nomina infulcire.

Ad xij. Symbolum uolo uideri ab apostolis profectum, quum eo ipso loco unde Beda sumpsit ansam calumniandi profitear hoc esse maiestatis ac puritatis apostolicæ. Et an proditũ sit, hoc est an scripto uulgatũ sit dubito, an ab illis profectum sit nõ dubito. Nec statim dubius est in fide qui de autore libri dubitat, de duabus posterioribus epistolis Ioannis Hieronymus pronũciat non esse Euãgelistæ. De epistola Iacobi diu dubitatũ

bitatũ est. Itẽ de secũda epistola Petri, de epistola ad Hebræos, de Apocalypsi, nõ dico ab hæreticis, sed ab orthodoxis uiris, qui scriptũ tamen ut à spũ sancto ꝓfectũ amplectebantur, de scriptoris nomine incerti. Censura xiij. & xiiij. scatẽt euidẽtibus mẽdacijs. Nec enĩ temere ritus ecclĩæ, & in eo ipso loco unde sumit calumniã fateor baptismũ sacramentalẽ iterari fas nõ eẽ. Itẽ q, debet fieri qd' uolo eẽ liberũ, figmẽtũ est calũniatoris, ꝓpono enĩ cõsiderãdũ nõ uolo aut præscribo.

In xvij. quod notat in æditione proxima correctũ est, quanquam hoc fidei non repugnat.

19. Manifestã habet calumniã, de homine puro illic loquor nõ de Christo, sed in Christo exẽplũ ostẽdo.

20. Nõ lapsus est Erasmus, sed calũniatus est Beda. Nũq̃ enim somniaui Danielẽ 40. diebus ieiunasse, sed ita Danielẽ adiũxi, quẽadmodũ hymnus Ecclesiasticus adiũgit. Hoc Daniel mysteriũ uictor leonũ uiderat.

21. Vxor esse desisse dicitur, quæ indigna est uxoris nomine, & quæ meruit lapidari, aut à thoro seiungi. Sequitur enim eodem in loco continenter, & matrimonij ius ademit sibi.

52. Nõ est in meis uerbis hæresis, sed in calũniatoris deprauatio. Ego qd' Christus dixit et ueteres interpretati sunt explico paraphrasi. Beda sic accipit, quasi his tẽporibus hoc dicat Erasmus. Et de uiris apostolicis illic loquor, non de principibus.

53. Aeditio prima anni 22. cui adfui, habet singulari more

ri more. Nec id latuit Bedã sed quæsiuit ansam calumniæ. Etsi nõ succurrisset prior editio si nõ monuissem scripto, ipse sermonis contextus satis indicat sensum meum. Nec illi potest obscurum esse quid de Christi diuina natura sentiã. Et hic igitur euidẽs est calumnia.

35. Hic insigne mendaciũ est. Nõ enĩ loquor de uoto obstrictis, nec patrocinor illicitæ libidini, et uerißimũ est ꝑpaucos posse cõtinere, si ad incõtinẽtiũ nũerũ cõferãtur. Neq; oẽs continẽtiã habẽt qui uiuũt cœlibes.

36. [redacted]

38 De substãtia præmij loquor nõ de modo meritorũ. De Lutheri dogmate nec somniabã, quũ illa scribere, & ideo quod adfert Beda mera calũnia est. Vel ex libello de libero arbitrio scire potterat me non sentire cum Luthero.

39 Imò animã in priore parte accipio ꝑ uita, et in secũda ꝑ uita, sed totius hoĩs. Sic loqtur euangeliũ. Qui perdiderit animã suã, in uitã æternam inueniet eam.

41. Si cõtradictoria meæ ꝓpositionis est falsa, ut re uera est, mea uera sit necesse est.

43. Audẽdi uerbo abutor, nõ ausus est ꝑ eo, q̃ est nõ lutũ iudicauit, quẽadmodũ alicubi ponitur in euangelio. Si pius est sermonis tropꝰ, Christus timuit infirmis, pius est et hic, nõ ausus est eos adhibere testes. Cæterũ quod expono de tribus tãtũ aßumptis, præter alios cõ

mentū est Chrysostomi & hūc sequuti Theophylacti. Cæterū an tā profūdo somno dormierint, ut nec orantem, nec suspirantē sensérint, doceant qui affirmant.

45. Semper dubitatū fuisse dixi, nō ab omnibus, id satis docui in apologia aduersus Fabrū, tū in annotationibus, quæ Beda ideo nō legit, ne qd officiat calūniæ.

46 Ea uanitas placuit Cypriano, nec displicuit Augustino, qd libello ppīe in hoc edito satis declarauimus. Ibidē demonstrauimus sermonis uocabulo cōgruētius exprimi personā filij q̄m noīc uerbi. Tantū, aūt aduerbiū non excludit opera charitatis & fidei, & qd illic dicitur pertinet ad eos qui ex Iudaismo uel ex pagani smo ueniunt per baptismum ad professionem Euangelij. Vnde in meis uerbis nō est hæresis Lutherana, sed in Bedæ uerbis euidens calumnia.

47. Nō est Lutherana uox, sed Pauli, quā eo sensu protuli quo protulit ille.

48. Expono qd angelus appellat gratiā, et nego fuisse simpliciter meriti uirginis qd deum pareret. Quod adfert Beda de humilitate nugamentū est, quū illic humilitas sit abijcientis sese, nō laudantis, ut Beda uult, id declaratū est in annotationibus, quas Beda prudens excluſit, ne nō esset locus calumniæ.

50. Festinasse legitur, salutasse quenquam, hoc est officij gratia ad quenquā diuertisse non legitur.

51. Hic Beda tota errat uia. Ego sub pſona Lucæ loquor de ceremonijs legis abolitis, nō de cōstitutionibus

Eccleſi

Ecclesiæ quas Lucas tũ nõ nouerat. Nomino enĩ illic cũcircisionẽ, neomenias & lotiones, quæ uerba Beda prudens omisit, quia excludebant calumniam.

53. Ostendi Bedæ typographorum errorem esse non meum, & curaui castigandum. Sed Beda noluit sibi perire hanc calumniolam.

45. Quoties dicimus gloria tibi domine, bene precamur illi, quod Græci dicunt εὐλογῆσαι. Definitio Bedæ ridicula est, & tamen quum dicimus: adueniat regnum tuum, precamur deo, quod nondũ habet, hoc est omnia subiecta per filium. Ita Simeon precari poterat Iesu, ut sua morte redimeret orbem, & innotesceret toti mundo, quod nondum erat factum. Itaque in meis uerbis nulla est blasphemia, sed in Bedæ uerbis impudens calumnia.

57. Probabile est Ioseph & Mariam omni sollicitudine curasse Iesu puericiam & infantiam qua pij parentes solẽt: hoc est, cauisse ne caderet, ne sitiret, ne algeret. An tum tẽporis uirgini perfecte reuelatũ fuerit, eum esse deũ et hominẽ, mihi non liquet. Certe matris expostulatio aliud sonat. Deniq; Maria utriusq; nomine loquitur, et quod dicit, in Ioseph uerũ esse poterat.

58. 59 De Euangelij negocio illic agitur, et in hoc soli patri debebat obedientiam. At Stunica Bedæ iudicio doctus & orthodoxus docuit, impiũ esse si quis dicat Christum ullo modo debuisse obediẽtiam parentibus

tibus humanis. Tamẽ ille pie loquutus est, ego impiè, quanquam non idem sentio quod Stunica.

61. Sic diabolus est natura mendax, quemadmodũ homines natura filij iræ. Diabolus enim nõ alieno impulsu mentitur, aut casu. De natura condita non loquor. Quis enim nescit illum aliter fuisse conditum?

62. Paulus Roma. 1. uocat, ὑπακοὴν πίστεως, fidem distinguens à scientia quæ rationibus humanis acquiritur. Eodem sensu dictum est à me quod carpit Beda.

63. Dominus facturus miracula, tantum exigit fidem, sacerdotes à mundatis exigunt munus, Christus nihil tale exigit. De pœnitentia post baptismum, de satisfactione, de bonis operibus cæteris illic non disputo.

64. Qui iubet intrare cubiculũ, nónne iubet clam orare? Qui damnat in orãdo multiloquium, & præscribit breuem formulam, nónne iubet orare paucis? Beda putat paucis orare idem esse quod infrequenter orare. Et tamen non improbari mihi his uerbis piorũ hominum apertas, prolixas & assiduas preces multis locis doceo. si Beda dignetur legere.

66. In Septuaginta consentiunt oẽs Græci codices, et in his præter alios, Ambrosius, Dorotheus martyr, Theophylactus, quemadmodũ in annotationibus docuimus. Porrò si blasphemia est dicere apostolos missos, ut ipsi experimẽto discerent quid posset fides, no

uũ blaſphemiæ genus audio. Sic aues ſinunt ſuos pullos uolitare, ut experiantur & aſſueſcant. Nec ideo Chriſtus neſciebat quid eſſet euẽturum, ſed paulatim illos formabat ut rudes adhuc. Beda non uidetur intellexiſſe meum ſermonem.

68. Vt hæc peſſime interpretetur Beda, tamen uerum eſt quod dixi, qui in talibus ponit Chriſtum, & eum diuidit, uno quoque ſibi uindicante, plurimum errat. Quod autem Beda dicit his uerbis me taxare pie caſtéque uiuentes in cœlibatu, aut in monaſterijs, manifeſtum eſt mendacium. Exoriebantur & Lucæ temporibus eiuſmodi ſchiſmata, & illic ſub Lucæ perſona loquor. An Paulus quum dicit regnum dei non eſt eſca et potus, damnat abſtinentiam Chriſtianorum? Quod autem Spadonem dixi, ille interpretatur continentem, quum ego ſenſerim cœlibem.

70. Si Chriſtus ſuam mortem uulgari more lugeri uoluit, quur baiulans crucem reprehendit filias Hieruſalem?

72. 73. Hic palàm calumniatur Beda. Lucas loquitur de ceremonijs legis iam abrogatis, & Beda interpretatur, quaſi ego nunc loquar de operibus fidei & charitatis. Hoc enim præceſſit uerba quæ refert Beda. Hic quum auditis redimendum in iudicio, uidetis ſublatam legalium ceremoniarum fiduciam. Det dominus Bedæ mentem meliorem.

74. Hac

74. Hac de re quum Bedæ respondérim, schedis ad ipsum priuatim missis, demiror quur dissimulat. Inter hos Beda refert ad discipulos congregatos, quum magis referatur ad opinantes spectra apparere specie uisibili, quum non habeant solidum corpus. Quanquam huius loci scrupum proxima æditione discussimus. Et alioqui res est perplexa, nec paucis uerbis explicari potest. Et hoc deus ignoscat Bedæ.

78. Ipsa uerba quæ recitat Beda docent me non damnare, neq; preces in principe, neq; sacra, sed id commendare, quod propius ad ipsius munus pertinet. Id magis etiã perspicict qui præfationẽ eam perlegerit.

79. Non est Lutheranus error, sed pia deploratio prolapsi Christianismi. Quod autem addit, me tum dicere tum scribere solitum, collegium Theologorum solis uti sophismatibus argutulis, seu spinosis philosophorum complexionibus aut tricis, splendidũ ac forte mendacium est, impudenter in hoc cõfictum, ut mihi moueat inuidiã apud Theologorũ collegiũ, quo magis impetret quod agit. Neq; nego bonos Theologos aduersus hæreses frequenter bonam operam nauasse ecclesiæ dei, sed in horum numero non esse Bedam declarat hic liber.

80. Error nominis proxima æditione castigatus est. Et tamen Philippus apud Nathanahelem Christũ appellauit Messiam, idem sentiens quod Nathanahel.

Interpre-

Interpretatio quam sequor non est glossulæ, sed diui Chrysostomi, multis & apertis uerbis hoc ꝓsequentis.

81. *Per tropum matrem uoco cui ius est imperãdi filio. In Euangelij negocio dominus matris autoritatem interponi noluit. Totam enim gloriam uoluit esse patris, Hic nulla est impietas: sed impietas fuisset, si dixissem Euangelij negocium ex autoritate matris pendere.*

84. *Hic oro te lector, uide insignem impudẽtiam calumniandi. Exponens allegoriam aquæ uersæ in uinũ, loquor hunc in modum: Iam enim tempus erat, ut pro insipida ac diluta legis Mosaicæ litera, haberemus generosum illud uinum Euangelici spiritus, Christo uidelicet quod erat inefficax & inutile nobis, uertente in melius. Lex enim Iudæis absq; Christo non solum insipida est, uerum etiam exitiabilis. Qui non crediderunt Euangelio, adhuc bibunt aquam legis Mosaicæ: qui crediderunt Christo, spiritualis doctrinæ musto feliciter ad uitæ cœlestis amorem incalescunt, ac uegetantur. Nec id factum est priusquam Christus sibi iungeret ecclesiam spõsam suam. Hoc quod dico eos qui Christo crediderunt, bibisse uinum spiritus, quũ Iudæi non credentes biberint aquam insipidam literæ, Beda dicit esse hæresim Lutheranã, quum nihil dici possit magis piũ. Deinde quod à me dictum est de apostolis reliquisq; discipulis, infirmis, donec biberent mustum sancti spiritus: ille torquet ad prophetas & patriarchas, quum de*

illis

illis nulla sit mẽtio, Ecclesia secretu fuit ab initio mũ di, sed post missum spiritũ successit ebrietas ex musto spiritus, & palàm celebratæ sunt nuptiæ. Quod si im pie dicitur de illo tẽpore, quomodo Petrus in actis præ dicat Ioelis uaticiniũ esse cõpletũ, nõ quod antea nõ fuerit spiritus, aut martyres, sed qđ nunq̃ spũs solen nius aut copiosius effusus. Obsecro te pie lector qua lis est iste Theolog⁹, q̃ in tã pie dictis, hæreseos et bla sphemiæ struit calumniã. Verũ huiusmodi nænias illi, magistelli suggessĕrũt. Nã planè sentio illũ mea nõ le gisse, et opinor nec hũc librũ legit, à quocũq; scriptũ. 85. Qui legerit locum intelliget me loqui, de his qui ex paganismo aut Iudaismo ueniũt ad baptismũ. An ab his requirũtur opera superioris uitæ, aut imputãtur malefacta? Nec hic sensus potuit fallere Bedam, quum inibi legantur hæc uerba. Nõ enim exigitur pro prio ribus admißis satisfactio, non legis obseruatio, nõ cir cumcisio. Quid apertius? Quod in baptizatis nõ ex cludo bona opera, declarant quæ inibi sequuntur, per quod salus æterna datur omnibus quantalibet pecca torum sarcina grauatis, si quis modo post Euangeli cam professionem abstineat à uitæ prioris flagitijs, & iuxta doctrinã eius cuius nomẽ professus est, nitatur ad perfectam pietatẽ. Appello te lector, est hic sermo excludẽtis in baptizatis opera fidei et charitatis? De us illuminet Bedam in has tenebras deuectum.

86. Historia

86. Historia incerta est, an quinq; legitimos habuerit uiros an non, idcirco ad allegoriā respexi, illegitimum uocās maritū, qui libidini habetur, etiāsi rite ductus sit. Legitimus enim uir est intellectus spiritualis, quē aduocari iubet. Siue igitur interpreteris quinq; uiros quinq; sensus corporis siue quinq; libros Mosi, si absit spūs, illegitimi sūt uiri iuxta sensum allegoricū.

87. Hic rursus habes splendidū mendaciū optime lector. Exponens illud Ioan. Mulier crede mihi, hunc in modū loquor. Verū hoc Euāgelicæ pietatis mysteriū aperturus præfatur fidē, sine qua nullus est idoneus auditor Euangelicæ doctrinæ, nec idoneus cultor Euāgelicæ religionis. Fides enī sola purificat corda, redditq; idonea quibus credātur philosophiæ cœlestis arcana. Nō loquor de uitā Christianorū, sed de his qui recipiuntur ad Euangeliū. Hos opinor sola fides purificat, non opera legis aut pagana religio. Sic enī Petrus in actis, Nihil discreuit inter nos et illos fide purificans corda illorū. De Lutheri dogmate ne somniabā quidē quū illa scriberē. Quàm male cōsulunt honori Bedæ, qui hæc tā insigniter calūnioſa illi suggerūt. Est quur illi succēseam, sed magis illius miſereor q̄ irascor, ita 15.

89. Quod per inuidiā aut odiū (me deus amet. cōmissum est, nō est ipsa inuidia aut odiū, nec iam occultū est, sed manifestum. Potest enim in ius uocari. Ego de secretis affectibus sum loquutus.

90. Quum

90. Quum Beda probe sciret me non sentire patrem & filium esse duas essentias: quid opus erat hic duo accipi neutro genere, quasi non dixerit Ouidius, Nos duo turba sumus.

Quid autem habet mali argumētatio hæc dialectica: Si duo homines habent legitimum testimonium, multo magis habebit pondus patris testimoniū cum meo consentiens. Quorsum autem attinebat nugamentum puerile, Ad impossibile sequitur quidlibet? Certe apud homines patris testimonium esse poterat, sine filij testimonio. Nam Iudæi ueteres solum patrem nouerant. O frigidas nugas.

91. Ego uiam pro aditu posui., & utcunque accipis uiam, non excludo bona opera, certe fides dux est, & scopum ostendit. Quantum est hodie periculum, fidem sic in scripturis laudatam honorifice nominare, per istos fidei defensores. Certe me nō sentire cum Luthero, sexcenta loca declarāt in libris meis. Nec adhuc satis intelligo quid sibi uelit Lutherus, qui fatetur necessario ex fide nasci bona opera.

92 Quod hic dico, multis uerbis inculcat diuus Chrysostomus ex autoritate prophetarum. Nec obstat locus ex Deuteronomij cap. 5. Ego dominus reddens iniquitatem &c. Item apud Hieremiam 31. quum non agatur illic de pœna translata à meritis ad immeritos, sed dilata à nocentibus ad posteros nocentiores. Ridiculum

lum autẽ quod dicit Beda. Quod deniq; dicit Erasmus cæcitatem illi cæco casu quopiam accidisse, si deum respicias, aperta blasphemia est. Quis tam insanus, ut deo tribuat casum aut imprudẽtiam? sed qđ ex causis nobis ignotis acciderat, hoc deus uertit in suã gloriã, q̃ cæcitatẽ non immiserat. Quas hæreses hic legimus?

93. Quũ ex meis uerbis perspicuũ sit illic fieri mentionẽ de consensu dictorũ aut factorũ patris ac filij, quorsum attinebat ingerere mentionem Sabellij, nisi quod Beda hoc tum forte lectum uoluit bene collocare, quo crescret modus uoluminis.

94. De gladio principum non loquor, sed de uiris apostolicis, & ex sacris doctoribus faciam perspicuũ hoc uoluisse dominum, quod interpretor. Hic perlongum esset referre.

95. Quis nescit in Christianorum aulis esse pios ac pias, imò noui multos qui nobis nostram exprobrent impietatem. Id scriptis etiam non semel testatus sum, ego de Iudæorum & principum impijs aulis illic loquor. Christum autem quodammodo abnegat, qui pro bitati renunciat.

96. Quod in mea paraphrasi uelut iniquũ & impiũ damnat Beda, perspicue docet pijssimus uir Hieronymus in cathena aurea. Nam locus in præsentia non occurrit. Vel, inquit, ideo Iesus nihil respondere uoluit, ne crimen diluens dimitteretur à præside, & crucis

b utilitas

utilitas differretur. Multa celauit dominus, ne impediretur mysteriũ passionis. Quod nego liberũ Pilato fuisse, suspicor Bedam somniare de libero arbitrio, de quo scit quid sentiam. Si liber est, qui metu cogitur, uicit Beda, si liber est qui nõ potest, nisi quod permittit deus, erat Pilato liberũ absq; dei permissu occidere Iesum. Bone deus, quales annotationes à tãto theologo.

97. In schedis ad me missis Beda scripserat se nihil deprehendisse in Marco reprehendendũ. Hic nescio quis deus illi multa suggessit.

100. Vtraq; lex habebat utrũq;, sed Euangeliũ proprie dicitur lex gratiæ. Ad Ioannẽ aũt quũ & publicani & meretrices & milites cõfluerent, nullũ inuitauit ad legis obseruationes, uictimas, uota, ieiunia, sed ad resipiscentiã. Loquor illic de uotis & ieiunijs Iudaicis. Non damno uota aut ieiunia, sed Ioannes id initio prædicabat quod erat cõgruẽtius Euãgelio mox successuro.

101. Si quis ad uiuum exigat, eadẽ est lex uetus & noua, & tamẽ dicitur nouũ testamentũ quod tradidit Christus arrogans ueteres hostias. Distinguendi cautela partem legis abolendæ uoco legem carnalem, cognitionem spiritualem uoco legem Euangelicam. Quod Beda docet nihil ad me pertinet.

102. Quur hunc sensum horret Beda, lex ceremonijs & terroribus fecit hypocritas, quum non horreat hæc uerba

uerba Pauli, litera occidit, Loquor enim illic de crassiore legis parte, hoc est quæ gratiæ est expers. Item quod est apud Ezechielem. Dedi eis præcepta non bona. Iustitia hominum, & terror absq; gratia facit hypocritas. Iam Euangelium magis agit promißis, & ceremonias Iudaicas submouit, atque hinc minus facit hypocritas, quàm lex Mosi.

103. Craßiorem legis partem uoco legem Mosi, quemadmodum & Paulus ad Hebr. 7. Nihil ad perfectum adduxit lex. Ergo qui seruabant legis præcepta, iusti habebantur apud homines, at non item apud deum.

104. Non derogatur humanis institutis aut doctrinis, sed præfertur autoritas diuina.

105. Quid hac calũnia puersius? Ego admoneo uel Marcus potius, ut Christiani deum orent, ut Iudæos affixos litteræ & ceremonijs Mosaicæ legis addictos erigat ad libertatem Euangelicam, uidelicet concepto spiritu filiorum, & accensa charitate, quæ foras mittit timorem, at quod Beda interpretatur, nec congruit illi tempori quo locutus est Marcus, nec meæ sententiæ. Et ne quis suspicari posset me probare licentiam quorundam Lutheranorum, addo, quæ non in hoc ualet ut licentius peccemus, sed ut alacres ac uolentes obeamus munia charitatis Euangelicæ. Vnde hic articulus non manifeste fouet liberta-

tem Lutheranorum, sed manifeste calumniatur Beda. Et si quis hodie moneret Christianos atq; etiam monachos, ut à trepidatione & superstitione ceremoniarum proficerent ad uigorem spiritus, nónne foret pia monitio?

106. Imò pia est admonitio, Cessasse nunc donaria & holocaustomata. Mosaicæ legis, ac pro illis requiri ut peccator agnoscat morbum suum & medico deo se totum tradat. Huic contraria docere uere impiũ est. Qui leget locum uidebit illic nihil non pie dictum.

107. Non dico desperantem, sed desperationi uicinum. Horror peccati præcedit cõturbans totum hominem, nonnunquam ad desperationem. Eum horrorem sequitur serenitas spei conceptæ de bonitate dei: hic nec falsitas est nec ulla pugnantia.

108. Si mea propositio concordat cum Euangelio, qua fronte damnat illam Beda? An etiam Euangelij censor est?

109. & 110. & 111. Quæ illic dicuntur sub persona Marci, congrua sunt illis temporibus, et concordãt cum sensu Euangelico. Et quicquid illic dico, etiã hoc dici potest quãlibet bonis monachis, ut ea quæ faciũt nõ faciant tristes, quia præscripta sunt, sed alacres ex charitate. Vnde quod hic adfert Beda impudens calũnia est.

112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. Quod illic dici-

tur

tur de ieiunijs & uotis, ſabbatis Iudæorum Beda tra/
hit ad monachos, quos Marcus non nouerat. Et tamen
ſi hæc omnia monachis dicerentur, nihil eſſet abſurdi.
Vere pius, ſingulis diebus facit apud ſe, quod diebus
feſtis populus cogitur facere. Et qui ieiunat cum per/
nicie corporis & animi, impie ieiunat. Et mona/
chus ſi uocetur ad epiſcopi munus, liberatur ab obe/
dientia, cæteriſq; obſeruationibus, & ſi ita hortaretur
utilitas populi recte deponeret ueſtem. Et ſi quis Car/
tuſiano periclitanti neget carnes, Gerſon hunc dicit
grauiter peccare, & hodie paſſim monachi, ſi quid ti
ment in itinere, ſumunt ueſtem laicam. Loquor etiam
de Cartuſianis. Romanus Pontifex etiam ob leue ſcã
dalum mutare cultum iubet. Nec eſt Bedæ mihi præ/
ſcribere quomodo debeã uiuere, hoc à me potius ipſe
debebat diſcere, qui ut ſcripta hominis docent ne ſom/
niauit quidem unquam quid ſit eſſe uere Chriſtianũ,
ſed totus eſt phariſaicus, foris nitidus, intus ſcatens,
philautia, ſiti gloriæ, faſtu, liuore, odio, uanitate, ca/
lumnia. Mihi ſatis eſt epiſcopis meis & Pontifici Ro
mano uitæ meæ rationẽ reddere, meæq; cõſcientiæ ac
deo ſatisfacere. Beda ſuo miſero gregi præſcribat,
& ipſe ſtudeat in primis eſſe pauper ſpiritu, deponat
iſtum tumorẽ, erigat ſeſe ad ſpiritualis uitæ ſtudiũ, ſi
poteſt, ſi non poteſt, obtemperet alijs huc uocãtibus.
119. Hoc ſenſit allegoria, profeßionem Euange/

licam esse perfectæ pietatis, hoc est spiritualis, quum synagoga, quæ ceremonias urget absque gratia, habeat inualidos & imbecilles. Eat nunc & hic arguitetur Beda.

120. Quid Lutherus doceat nescio, quod ego dixi Euangelicum est, Qui uocabantur ad Euangelium, ab his non exigebantur benefacta prioris uitæ, sed indicebatur resipiscentia & fides.

121. Doceo ex Euangelio discipulos nullo mundano præsidio fultos docuisse Euangelium, ante mortem Christi. Non habebant litteras ut scribæ & pharisæi, non erãt præditi autoritate publica, ut Annas & Caiphas, nec erant cincti satellitio, nec erant illustres genere, nec erant fama celebres, nihil horum attulerunt ad Euangelium, sed quædam ex Euangelio conse quuti sunt, tantum obtemperabant domino, quem adhuc carnaliter amabant ex parte, & tamen hac fiducia ædebãt miracula. Beda somniat me excludere charitatem & bona opera. Imò charitas fidem comitatur, habebant fidem imperfectam, qualem habebant charitatẽ et opera. Proinde hæc particula, nihil aliud, excludit ũnum genus, hoc est præsidia mundi, non ea quæ natura adhærent fidei.

122. Miror si Christianus est Beda, qui usq; adeo non potest audire nomen fidei. An non qui accedunt ad Euangelium fide iustificantur?

123.

123. 124. 125. 126. Hæc omnia Christiane dicta Beda calumnioſe deprauat, tam euidenter, ut non ſit opus ulla redargutione.

127. Hic nihil pertinet ad hæreſim, ſed quod dicit Beda ad calumniã pertinet. Res ipſa loquitur. O phariſaicum hominem, & fidei capitalem hoſtem, cuius nomẽ uix fert. Talis eſt & quæ ſequitur calũnia. Credo Bedam cogitare auctionem ſuorũ meritorum.

130. Ad hanc iam ante reſpõdi, uxor eſſe deſijt, quæ ſe fecit indignam uiri contubernio, quemadmodum fidem abnegaſſe Paulo dicitur, quæ ſuæ domus curam non gerit. In epiſtola ad Corinthios explano ſenſum catholicum, fatetur hoc Beda, ſed quod hic dico nõ pugnat cum eo ſenſu. Nam adulteram repudiari licere, doctrina eſt Euangelij. Dicit hæreticum, poſt diuortiũ alteri poſſe nubere, hoc à me dictum non eſt. Dicet quur non explicas? Quia hoc non explicat Euangelium, Paulus explicat, poſt diuortium debere fieri reconciliationem. Suſpicor Bedam fuiſſe ſubmonitum à quopiam de loco ad Corinthios, nec tamen libuit mutare calumniam.

131. Si deus præmiũ intelligitur, error eſt, Sin aliud à deo, pia Theologorũ ſentẽtia eſt, quã damnat Beta.

132. Atqui Lucæ interpres à fabulandi uerbo nõ abhorret, & factũ eſt dũ fabularẽtur, quũ Græce ſit ἐν τῷ ὁμιλεῖν, id eſt inter colloquendũ. An ideo fabula

male ſonat, quia male ſonat fabuloſus. Bene ſonat cerebrum, male ſonat cerebroſus. Nec hic uoco fabulam narrationem ut ſomniat Beda, quam Græci uocant μῦθον, ſed actionem quæ uarijs perſonis agitur, quã Græci uocant δρᾶμα, Latini item fabulam, unde dicitur exploſa fabula, & commemorantur actus ſcenæ, & perſonæ fabulæ. Non habeam aliam uocem latinam, qua cõmodius eam rem explicarem, etiamſi Beda nõ intelligit, periti latini ſermonis intelligunt.

133. Hic ſtudio calumniandi miſere delirat Beda. Tractans allegoriã dico Chriſtum pro ſuis in nos gratuitis donis, nihil poſtulare præmij, niſi ut quod accepimus in caput ipſius refundamus, hoc eſt in gloriã illius prædicemus: id enim ſignificabat unguentum illud cuius odore repleta eſt domus. Bedã diuerſum interpretatur. Sed hoc nugamẽtum aliquis magiſtellus illi ſuggeßit. Tantam habet ſuis cõbibonibus fidem, qui fidei erga deum uocem ferre non poteſt.

134. Qui abutuntur bona ualetudine, proſperitate rerum, tranquillitate temporum, opibus, ad turpia, nõne hos benignitas dei, quæ prouocare debuerat ad gratiarum actionem, prouocat ad maliciam? An ideo deus debebat illis ſubtrahere commoda? Non erat culpa in Chriſto, qui uolebat illum reſipiſcere, ſed in Iuda, qui obduruit unde debebat molleſcere. Quid his calumnijs inſulſius?

137. Ad

137 Ad hæc quid responderim Beda dißimulat. Eadē ratiōe qua me ſubmouet à paraphraſi, ſubmoueri debebant omnes qui ſcribunt commentarios in Paulum. Nam his obijci poterat, uis tu dilucidius loqui quàm Paulus? Imo ideo ſpiritus ſanctus paſſus eſt in literis ſacris reſidere obſcuritatem, ut noſtram exerceret induſtriam, quemadmodum docet Auguſtinus.

137. Et hic miſere delirat Beda, Superſtitionē uoco, ſi quis ſcripturæ ſentētiam non ferat alijs uerbis enunciari, quàm habet uulgata æditio, aut & Paulus ſcripſit. Impudenter autem Beda mentitur me poſtulare, ut qui ſuperſtitioſi non ſunt meas paraphraſes recipiant pro diuinis textibus, imò non ſemel teſtatus ſum me nolle meis paraphraſibus plus tribui, quàm aliorum commētarijs, etſi quid eſt errati, hoc mihi imputandum non ſcripturæ ſacræ. Non pudet iſtum Theologum tam abſurdas nænias euomere?

138. Et ad hāc reſpondērā, ſed Beda dißimulat, caſtigatis tamen quibuſdam quæ ſcripſerat. Non dixi exigendam quaſi neceſſariam ad ſalutem, ſed ad uitandum ſcandalū. In hac ſentētia fuit Petrus & à Paulo reprehenſus eſt. Porrò me hoc idē ſentire qđ interpretatur Beda declarant hæc mea uerba: Vel in hoc ut placarētur hi qui nondū ſic profecerant in Euāgelica ueritate, ut poſſint omnino patrios ritus cōtemnere.

139. Quæ hic deblaterat in rhetorem Eraſmum,

Beda sine controuersia nõ rhetoricus, insaniora sunt, quàm ut ea potuerit effundere furijs agitatus Orestes, adeo ut me, sic me Christus amet, etiã hostis misereat, magis autem ecclesiæ, quæ tales habeat defensores. Hic furit cũ suo Sutore. Iam antè respondimus, et si fuerit opus, euidẽtius ostendemus hominis intemperias, ne titulo Theologi, & pauperum ducis offendantur imbecilles Christi. Mihi nunquam persuadere potuissent uel centum rhetores talem esse Bedam, nisi se suis scriptis prodidisset, cui tamen nondum renũcio amicitiam, sed dabitur uenia πρωτοπείρῳ, modo ad cor redeat.

143. & 144. Non tollo peccatum originis, sed hũc Pauli locum expono de peccato actionis ueteres orthodoxos sequutus. Sermo generalis, nõ excludit priuilegia paucorum. Si de peccato originali sensissem in secũda propositione nõ dixissem plurimos traxit, sed omnes traxit. Verũ hac de re respõdimus Leo, cuius calumnias legit Beda, meas responsiones non legit.

145. Loquor illic de regno peccati, non de quouis peccato. Regnum autem peccati sublatum est per gratiam. Ita Paulus: Peccatum uobis non dominabitur, nõ enim sub lege estis sed sub gratia. Proinde quæ hic cõgerit Beda nugamẽta sunt, & tamẽ respondẽrã, satis accurate, quæ si fuissent euulgata, puduisset Bedã suas publicare uigilias, nũc saltẽ tẽporis usura fruitur.

146. Donec

46. Donet dominus iſti Theologo ſanam mentem. Vbi eſt gratia & ſpiritus libertatis filiorũ dei, ibi non eſt coactio, quod eſt ſeruorum. Non tenẽtur filij, quia non habent opus, ſi habent opus, iam incipiũt eſſe ſerui. Quomodo autem coguntur lege, qui ſub lege non ſunt autore Paulo?

147. [redacted]

149. & .150 & .151. Quũ ad has calumnias non indiligenter reſponderim, demiror Bedam perinde quaſi nihil reſponſum ſit, haſce nænias ædere uoluiſſe. Si quis legat paraphraſim & reſponſionem, quam miſi Lutetiam, precabitur Bedæ ſobriam mentem.

152. & .153. Et ad hæc reſpondimus, abũde. Paulus uocat illos adminiſtratores ſpiritus. &c. Et hominum cauſa deus creauit omnia. Ipſe enim nõ eget angelis.

De deo

De deo illic nõ loquor, sed de creatura, quæ expectat liberationem filiorum dei. Rex potest amicũ designare in ministerium alicui, qui sit ipso dignior. Et an angelus sit simpliciter homine dignior nescio. Certe deus hominem maiore honore dignatus est quàm angelos. Si angeli non congemiscunt, Hieronymum in ius uocet qui sic exponit: Omnis creatura &c. Atq; hic ut Beda persuadeat me sentire angelos humanis affectibus cõmoueri, ex pio quodã fecit, pio quoq;, quemadmodũ ante ex nũc fecit modo. Si cœlũ & terra recte dicitur ingemiscere, quur de angelis idẽ absurdũ dictu sit? Certe in Euãgelio angeli gaudẽt super uno peccatore. Tropũ esse quis nescit? Neq; puto Bedam adeo stupidũ ut hoc nõ uiderit. Verum hoc pacto crescũt uolumina, & declaratur philosophiæ cognitio.

154. 155. Quid Faber scripserit nescio. Ego pro me dilucide & expedite respondi. Sequutus sum Ambrosium interpretem nõ excluſa tamen illorum opinione, qui interpellat exponunt, interpellare facit. Nec enim sic insanio, ut putem spiritum sanctum hominum more cruciatum sentire.

156. Vbiq; Beda sui similis est. Ego docendi gratia hoc fingo, & ne uerum esse putetur, aio, ceu geminã, Beda quasi uere senserim esse duas leges ac duos autores, somniat hæresim, impietatem ac blasphemiã. Opto illi fidelem medicum.

157. 158. Si

157. 158. Si qua est historia præter sacras literas, in quam nulla cadit suspitio falsi, prodat illam Beda. Nos libenter amplectemur. Si nulli eruditi dubitarũt de Dionysio, mentitus sum, si fuerunt & sunt, quid ego commerui, qui alienam opinionem recensui? Etsi essem in eadem opinione, quid ad fidem? Non damnarem libros, de autore dubitarẽ. Verũ hic camelus saltat. Eruditis interpretatur Beda Lutheranis ac schismaticis, errorũq; ueterũ relatoribus ac inuẽtoribus recentiũ. Ii quippe sunt, inquit, qui antiquis ecclesiæ ritibus ac disciplinæ derogant. Non fugiebat Bedã me de Laurentio Valla sentire, nec ignorabat hæc mihi scripta priusquã Lutherus taxaret Dionysium. Scripsimus enim & ædidimus Anno. 1519. No. Febr. sed ita crescit ὁ δοῖδυξ.

159. 160. 161. Si hoc est impium optare plus in literis sacris, quàm habemus, ego ubiq; ferè sum impius. Nec hic est affectus dãnantis scripturas, sed amantis & inhiantis. Boni consulo quod deo uisum est satis, & scio uotum esse frustra, tamẽ affectus est pietatis. Quantum nunc in orbe flagrat dißidium de corpore Christi. Si Paulus explicuisset ibi esse substantiam corporis, occluderetur os ijs, qui sacras literas contemnere uerentur, quum conciliorum ac Theologorum decreta contemnant. Paulus optat anathema fieri pro fratribus suis, non damnans dei prædestinationẽ, sed

charitatis

charitatis uotum ostendens. Optat pietas ut omnes resipiscant, quod fieri non potest, non tamen damnatur uotum. Quum disputo aduersus hostes ecclesiæ, gaudeo, quoties occurrunt plures loci, quo magis obruam contradicentē, & si non contingit, opto tamen. An hoc uotum impium est? Suspirantes optamus uidere quæ nunc per speculum & in ænigmate uidere non possumus. Quod datum est boni consulimus, uotum tamen est pium. Paulus cupiebat dissolui & esse cum Christo non repugnans uoluntatē diuinæ, sed anhelans ad perfectiora. Eat nunc Beda, & hic exaggeret impietates & blasphemias.

162. Fatetur Beda duplicem esse sententiam orthodoxorū, ego sequutus sum eam quæ mihi uidetur magis congruere mansuetudini Pauli. Eiectos legimus, extinctos non legimus. Quod autem dixi nihil aliud, non pertinet ad Satanæ carnificinā, sed ad usum prophani gladij, quem apostoli nunquam usurparūt. Et interitum hic interpretor afflictionem, quam Paulus postea tristitiam uocat. Idem alibi uocat tribulationem carnis, afflictionem & curas temporarias.

163. Magna uero impietas, ex charitate uelle subuenire perplexis ac miseris coniugijs, si per autoritatem ecclesiæ liceat, interim tamē obtemperantem decretis ecclesiæ. Hic offendit ut suspicor Bedā occupatio, ne dicā plus satis, hoc eò pertinet, quod matrimonia inter

uix

uix puberes, imò prorsus impuberes cõtracta per ui-
num, dolos, lenas, ueneficia, nolumus tamen dirimi.
164. 165. 166. Quo magis accedimus ad spiri-
tum, hoc purius sumus Christiani, quo magis hæremus
corporalibus ceremonijs, hoc magis uergimus ad Iu-
daismum. Et Pauli uerba sunt: Corporalis exercitatio
ad modicum utilis est, pietas ad omnia ualet. Item re-
gnũ dei nõ est esca & potus. Quod si præsules insti-
tuerunt aliquid Iudaicæ obseruationis propter infir-
mos, nõ damno, sed opto omnes esse tales, ut his nec
egeant admodũ, nec ita multum tribuãt. Quas hic ul
trices flammas somniat Beda? Quid Lutherus aut Fa
ber doceat nescio, hoc quod à me positũ debet omniũ
Christianorũ auribus instillari, ut à corporalibus pro-
ficiãt ad spiritũ. Et si placet incendiũ, primus omniũ
conijciatur in ignem, unà cum Euangelio magnus ille
Paulus ubiq; spiritũ extollens, carnis iustitiam exte-
nuans. Ego in eos qui ritus & cõstitutiones ecclesiæ
cõtemnunt etiã æditis libris acriter inuectus sum, tan
tum abest ut reijci iubeam. Sed hæc omnia dissimulat
Beda. Tãtum erat propositũ lædere. De superstitione
quorundam ac præposteris iudicijs utinam tam felici
ter haberent res humanæ ut Erasmus mendacij posset
coargui. Hic nõ optabo Bedæ flammas, sed eximium
elleborum sanando cerebro tam putido.
167. 168. 169. Hæc opto dilucidius explicata, nõ
quod

quod dissentiã à decretis ecclesiæ catholicæ, sed quod optem præsidia maiora aduersus eos qui pili non faciunt conciliorum ac pontificum scita, multo minoris Theologorum definitiones.

170. Imò Paulina sunt. Valeat Lutherus. Paulus pàlàm irridet eos qui dicebant, ne gustaris, ne tetigeris, ne contrectaris. Et Iudaicas cerimonias ubiq; profligat. Quid ista ad hæc tempora? [redacted].

171. Hic Beda, præfatur, perorat, planeq; triũphat, quum non alibi turpius cæcutiat. Suspicatur me hoc sensisse, non fuisse phas Hebræis edere phase, nisi prius septem diebus abstinuissent à fermẽtatis. Atqui me nõ hoc sentire, poterat ex meo sermone perspicere qui inibi præcedit. Sut autem hæc mea uerba. Hebræi quũ emensi mare liberati fuissent ab Aegyptia seruitute, iussi sunt quotannis in huius rei symbolum ac monumentum stato tempore, mactato agno anniculo septẽ diebus uesci panibus nullo fermento corruptis. &c. Ac mox, Quemadmodum fecerant iam fugam adornantes ex Aegypto. An hæc uerba non satis declarãt me sentire, septẽ diebus ab esu phase abstinuisse illos à fermentatis? Dilucidius etiam hoc declaro quũ addo, quemadmodum fecerunt adornantes. &c. Nam Exod. 11. Iubentur edere phase primi mensis die. 14.

sicut

ſic ut nec illo die quicq̃ fermenti eſſet in ædibus, rurſus ab hoc die continuare fermentatorum abſtinentiã uſq; ad diem uigeſimum primũ. Quid igitur hic ſibi uolunt, neq; dignus habetur &c. Non diſtinguitur tẽpus, ſed citra rationem temporis proponitur obſeruatio præſcriptarum ceremoniarum. Illi indigne celebrabant ſuum phaſe niſi ſeptem diebus abſtinerent à fermentatis, multomagis nos ſi uolumus digne celebrare phaſe nostrum abſtinere debemus à fermento ſpiritus li. Hæc quum reſponderim demiror quur Beda uoluerit prodere ſuam inſcitiam, niſi quod fermentum habebat in pectore. Hoc ex mea reſponſione adiecit, qđ bene ſentirem. Imò & bene ſenſi & bene loquutus ſum, niſi quod Beda non intelligit latine.

172. 173. 174. Hæc quæ ſub pſona Pauli dicũtur pro illis tẽporibus, Beda torquet, quaſi hæc hoc tẽpore dicantur ab Eraſmo. Paraphraſtes qđ Paulus ſentit expono, non damno epiſcoporum conſtitutiones. Paulus illic loquitur de cibis in lege uetitis ac permißis, hoc explico. Chriſtus non ſolum non docuit, ſed dedocuit etiam ciborum delectũ, quod ſi docuiſſem ea quæ docet Beda, pugnaſſem cum mente illius quem interpretor. Cæterum quod addo, ſi quis homunculus, uidetur durius. hoc nihil ad epiſcopos. Nam Paulus loquitur de pſeudapoſtolis, qui præter euangelicam libertatem onera legis imponebant gentibus. Ad hæc quum

c dñi de

dilucide respõderim, tamẽ Beda nõ desinit calũniari.

175. Miseret me istius theologi, quod lego frangitur apud Paulũ, consensus omniũ Græcorũ codicũ facit. Sic & legunt et interpretãtur, Ambrosius, Chrysosto mus, Theophylactus, qui fractionẽ interpretãtur com munionẽ. Frãgitur aũt corpus in Eucharistia sicut co meditur. Quorsum igitur attinebãt tam stolida conui cia, præsertim quũ illi responderim?

176. Græcos sum hic sequutus. Quid aũt refert, utrũ legas undecim aut duodecim? Thomas & hoc docet, & addere non uereretur, ubi Lucas refert Iesum appa ruisse undecim discũbentibus, scripturã esse corruptã, & duodecim esse legẽdũ p undecim. Duodecim & in terpretatur et legit Theophylactus, Augustinus sentit quod Thomas. Ego quanquã lego duodecim, tamẽ al teram lectionem non damno. Eat nunc & uociferetur sexcentas blasphemias Beda.

178. Hic admonitus mea responsione nihil mutauit, nisi quod pro creatus reposuit conditus. Ego organa corporis appello non tantũ oculos aut aures, sed illa spũalia organa potentiarũ, aniæ intellectus, ac memo riæ. An ea quæ dicitur mens, ὁ νοῦς, aliquid agat in corpore sine materialibus instrumẽtis Aristoteles du bitat. De raptu piorũ nõ loquor. Paulus dubitat an in corpore audierit an extra corpus. Hic mihi citat aristo telẽ, quasi tale nihil unq̃ didicerim. O hominẽ suauẽ.

178. Ad

178. Ad id respondi primũ Eduardo Leo, deinde p/ prio libello in hoc ædito, præterea in annotationibus meis declarãs cẽ catholicã lectionẽ ex Ambrosio Augustino cæterisq; doctorib⁹, quã Beda uocat hæreticã.
179. 180. 181. 182. Quod dixi Iudæis permissam immolationẽ pecudũ aliaq; quædã ne prolaberentur ad ritus prophanos, orthodoxorũ sententia est. Quod ex Fabio profert Beda, nihil ad rem ptinet. Nõ agitur hic de arte sed de opinione. Cui psuasum est esse deũ, facilius credit qualis sit deus, quàm qui nullũ esse credit. Primus enim cognitionis gradus est, an sit, deinde quid sit aut quale sit. Sic Aristoteles scribit sanabilio rẽ incõtinentẽ q̃p intemperantẽ, qd' uno gradu propior sit uirtuti. Mihi sic uidetur. Nam hoc uerbo utor. Si secus uidetur Bedæ, fruatur suo iudicio. Si gẽtibus uenientibus ad baptismũ imputatur quod per ignorantiã coluerũt idola, nouũ audio dogma, sed mire repugnãs Paulinæ doctrinæ. Inexpiabile uoco, qd' uix põt cõdonari. Vulgaris est hyperbole. Ambrosius solutionẽ ieiunij quadragesimalis appellat inexpiabile crimẽ, ne quid Beda indignetur. Nec dico flagitiũ est, sed flagitiũ sit, modo potẽtiali, significans esse periculũ ne nõ condonet deus. Nam aliquod esse peccatũ irremißibile nõ negant orthodoxi, nõ quod deus nõ poßit, sed qd' nõ dignetur impartire suam gratiam.
183. Loquor de gentibus ad Euangeliũ accedẽtibus.

Porrò dictio soli, non excludit merita quæ sequuntur baptismum, sed præterita. Nam si sine meritis nullus admittitur ad baptismum, quid meritorũ adferunt idolatræ? Non est hic assertio Lutherana, imò est sentẽtia Paulina? Non pudet hunc toties manifestum proferre mendacium?

184. 185. Noñ cõtradico mihi, bone uir. Lex dicit, Diliges proximum ut te ipsum, at charitas à quibusdã impetrat ut malint ipsi spoliari nummis quàm proximum. Quod legem dico uerbosißimam, non est contumelia in deum, sed significatio durißimi populi. Recense quantum illic est præceptorum, de sacrificijs, de tẽplo, de leprarum iudicio, de lotionibus &c. quæ oĩa sublata sunt, posteaquàm deus ꝺbreuiatum uerbũ misit in terras. Alioqui blasphemus esset qui diceret legẽ inuolutam umbris ac tenebris. De craßiore legis parte loquor, quẽadmodum ferè Paulus, quoties legẽ Mosi confert cum Euangelio Christi.

186. 187. 188. 189. Optarim hanc meam querimoniam esse falsam & iniustã. Ac mira arte hic miscet Lutherum, Vallam, Fabrum & me. Vnicum tantũ habet artificium non rhetoricum sed sycophanticum. Beda credit omnes homines esse tam stupidos, ut si audierint Erasmũ & Lutherum, putent illis esse summã inter ipsos concordiã, quũ ipsi libri declarẽt tã inter nos cõuenire, q̃ inter lupos & agnos. Præterea sperat

ubi

ubi uiderint homines in frontiſpicijs ſingularũ pagi-narũ & in initijs capitũ ingentibus litteris ERRORES ERASMI. *ſtatim arbitraturos eſſe rem per-culoſam. Sed fruſtra hæc ſomniat* Beda. Et laicis nunc eſt naſus ac iudiciũ. Nimirũ aſſueuerũt iſtis calũnijs, itaq; nõ mouentur. Docti qui deguſtarunt librũ, inuer-tent titulum, et pro cenſuræ in errores Eraſmi, legent, errores in cenſuris Bedæ.

190. *Quo maior eſt abſurditas in uerbis, hoc minus debebat ſuſpicari* Beda *mea cõmiſſum inſcitia. Quis enim neſcit* Paulũ Beniamiten *fuiſſe. Id qui potui ne-ſcire, quum ipſe locus quẽ interpretor exprimat nomẽ* Beniamin? *Obſtupui itaq; quũ legerẽ, ſed ilico depre-hendi totũ uerſum omiſſum à typographis, legẽdum aũt hunc in modũ, nempe* Beniamin, *quæ ſemper iun-cta fuit tribui* Iudæ, *unde reges, & Leui unde ſacerdo-tes &c. Præcipuã uoco, non quantũ ad ordinem, ſed quantũ ad pietatẽ, quo noïe inter præcipuas refertur ab* Auguſtino. Nõ cõfero phariſæos *cum regibus aut pontificibus, ſed cũ* Sadducæis, Herodianis, Eſſenis, *& ſilibus ſectis, unde demiror qd hic ſomniarit* Beda.

191. *Hic p me reſpõdeo nõ pro* Fabro, Beda *impudẽ-tiſſime mentitur, me hoc agere, ut ſacerdotes ac mona-chi ducant uxores ſed uirgines. Nec reijcio uulgatam lectionẽ, ſed oſtendo utranq; poſſe conſiſtere. An Pau-lus habuerit uxorem, melius potuit noſſe Clemens, qui*

hoc sensit quàm recentiores. Deinde compar & uxor recte dicitur. Quid autẽ periculi si Paulus dicatur habuisse uxorem? An ideo protinus licebit sacerdotibus uxores ducere? Atqui constat Petro sacerdotũ principi fuisse uxorẽ, idem tradunt de Philippo fideles historiæ. Quis credat hunc scriptorem esse sani capitis?

192. Si consequimur regnum cœlorũ ex meritis & nõ ex dono dei, mẽtitus est Paulus, quẽ interpretor, cuius uerba sunt. Secundum gratiam domini nostri Iesu Christi. Corrigat igitur Beda Paulũ, et scribat illic, secundũ magnifica merita nostra. Nõ tollo in totũ hominis merita, [illegible] & periculũ est his fidere, quũ gratia tuto prædicetur.

193. 194. Hic magna cũ uoluptate audiui M. N. è cathedra detonantẽ arcana theologiæ, quibus nihil detritius. Beda non uult affectus humanos aut naturales uocari charitatem, sed concupiscentiã. Ego uero apud idoneos autores lego charitatẽ etiã asinarũ erga fœtus. Affectus humani per se nec uitia sunt nec uirtutes, nisi quatenus à ratione dissentiunt aut illi cõsentiunt, aut si qua uirtus est, deprauari potest in uitiũ. Charitas Euangelica nihil agit perperam, quã Beda ex recõdita eruditione uocat infusam, quasi hoc uocabulum nullus audierit ante hac. Hæc charitas pro multis legibus est. Ita dominus, in hoc pendet tota lex ac prophetæ: et huic cõcordans Paulus, Lex iusto nõ est posita.

Quid

195. Paulus uocat charitatẽ de pura cõscientia, quæ fucata nõ est, & talẽ depingit fidẽ. Vbi fucata charitas, ibi fucata fides, ubi syncera charitas, ibi syncera fides. Imò q peruerse uiuũt, & si profiteantur ore, nõ uere credũt corde. [redacted] .Mecum sentit Ambrosius, cuius hæc uerba sunt de charitate loquẽtis. Si tamen ex corde puro, sit & bona conscientia: Vera enim charitas non potest malam uitã habere, nec simulatã fidẽ habet, in quibus omnis lex cõpletur & prophetæ. Ex his liquet Bedam nec Pauli sententiam percepisse, nec mea uerba.

196. [redacted] intelligit hic nomẽ factionis referri ad opinionẽ impiorum, qui Christianorũ cõsensum factionẽ appellabãt & eẽ credebãt. Quod autẽ colligit Christũ esse factiosum, non magis cõsequitur q̃ si quis dicat, ideo Paulũ fuisse cõfidentẽ, quod Christo cõfisus sit, aut Petrũ fuisse cerebrosum, qd̃ cerebrũ habuerit, aut Abrahã fuisse uinosum, quod uineta possederit. Porrò qd̃ addit de usurpatione, tantũ illud respondebo, sectam & hæresim æque usurpatam in malam partem, & tamen in actis hæresis phariſæorum dicitur, quæ non male sentiebat,

& eandē ibidem Paulus sectam appellat, utiq; laudās quā profitetur. Sic igitur argumētetur Beda, Paulus profitetur hæresim, ergo fuit hæreticus, profitetur sectā, igitur fuit schismaticus. [redacted]

197. Hæc Beda sēni uidetur subus scribere nō hominibus. Primū aio continentiā habere magnā cōmendationē in episcopo, significans eligendū si quis perpetuo cōtinenter & pudice uixerit. Quod si talis non inuenitur, proximum est ut eligatur qui unica uxore fuerit contentus, qua mortua nō curarit alteram ducere. Tertius gradus est eius, qui primā adhuc habeat. An talis nō poterit eligi? Chrysostōmus ait posse. Et iā olim apud Græcos & Gallos episcopi habebant uxores, & hodie ducunt [redacted] Ea res Petrū nō submouit à principatu Ecclesiæ. An abstinuerit ab uxore, probabile quidem uideri pōt, at nō certū habetur. Quod si Beda putat esse iuris diuini, ut sacerdos sit cœlebs, cū his disputet qui cōtra sentiunt ac faciunt. Meo suasu nullus sacerdos duxit uxorem hactenus. Et hæc mihi scripta sunt priusq; Lutherus ad coniugium prouocaret.

198. Hic Beda ueluti bonus calumniator in extremo actu seipsum uincit, quum in cæteris uicerit omnes.

Hoc

Hoc age pauliſper quæſo te lector, & iurabis illud, nulla eſt in toto pectore mica ſalis. Manicheũ me uocat, quod ſcripſerim Moſen uetuiſſe ueſci carne ſuilla, eo quod diuinæ legis autorem principalem, faciã hominem. Si uerũ loquitur Beda, Manichei ſunt omnes qui uocant legem Moſi, aut præcepta Moſi. Imo Manicheus eſt ipſe dominus qui ſic loquitur apud Marcum: Quid Moſes præcepit uobis? An non eſt legislator, qui regis autoritate ferit legem? An non præcipit, qui promulgat legem? An negat deum autorẽ baptiſmi, qui dicit ego illum baptizaui? Sic loquitur Paulus. Quid autem ſuſpicatur Beda, me non credere quæ ſcripta ſunt in diuinis libris de lege per Moſen, iuſſu dei lata? Id ſi non ſuſpicatur, quorſum attinent hæc tam rabioſa cõuicia? Verum hic aliud grauius crimen. Si lex eſt dei, ſequitur me ſtultum ac ridiculũ dicere quod deus præcepit: Is enim uetuit eſum muſtelæ, et inſup dico eſſe alia in lege Moſi his ſtultiora. O deplorandam hominis cæcitatem, Mea uerba quæ refert declarant me loqui non de lege dei, ſed de ſuperſtitioſis Iudæorũ fabulis: quibus uenditabant ſuã erudi tionem. Non dico deũ ſtulte præcepiſſe abſtinendũ à carne ſuilla, ſed ad pietatẽ non facere ſcire aut neſcire quur deus hoc iuſſerit, & hic Iudæi pro ſuo quiſq; capite uarias fabulas adferebant: nec aio fas eſſe ueſci muſtelis, ſed ridiculam fuiſſe Iudæorũ ſuperſtitionẽ,

qui mustelæ sanguinẽ forte effusum miris ceremonijs expiandum docebant. Et hoc hausi ex commentarijs Ambrosianis, in quibus hæc uerba sunt: Fabulosa autem non lex, sed hæresis est, quantum ad tempus pertinet illud Iudæorum, dum quidam eorũ sibi uindicarent prærogatiuã originũ patriarcharum, quæ de matrimonijs ortæ sunt, quũ ex hoc nullũ meritũ sit apud deum. Quidã uero urceorũ & cæterorũ uasorum baptisma, et sanguinẽ mustelæ magna cura expiandum. Et quia ideo Mosi sepultura abscõdita est, ne à magis excitaretur, quod si uerũ est, & cæterorũ sanctorum fuerat abscondenda sepultura. Et quia Solomon adiutorio dæmoniorũ templũ ædificauit, in quo opere ingens multitudo laborauit. Quid tam fabulosum? Hæc Ambrosius: Vbi sunt hic Manichei qui denegãt uetere legẽ esse dei? Vbi hæretici blasphemi et impij qui rident præcepta dei. Beda calũniatur me male uelle ordini Theologorũ, quẽ ego sic odi, ut dispeream ni magna pecunia redemptũ uelim, opus tam uecors & indoctũ cunctũ prodisse sub nomine Theologi. Beda putat esse lusum scribere libros. Nunc fecit periculũ æterno suo dedecore, etiã si in una tantũ censura sic insanisset. Et sibi uidetur Atlas ecclesiæ, qui tam furiosis cõuitijs me adoritur dimicantẽ pro negocio ecclesiæ.

L. Post hæc Beda cõgerit magnã uim querimoniarum, putat non ferendum quod dubito de secunda epi-

stola

ſtola Petri. Hic primum uanus eſt Beda, non aio me dubitaſſe, ſed ex autoritate Hieronymi doceo à plurimis ueterum fuiſſe dubitatum, & indico Hieronymum alicubi negare hanc eſſe Petri, alicubi uelle uideri Petri. In argumento fateor eſſe Petri, & addo illius titulũ. Hãc inquã ut apparet ſcripſit admodũ ſenex.

M. Altera querela eſt de inuerſo epiſtolarũ ordine. Ego nuſquã doceo inuertendum eccleſiæ ordinem, ſed paraphraſes ut quæq; prius aut poſterius ſcripta fuit euulgaui. In epiſtolam ad Hebræos quoniam nõ habebat multum difficultatis non decreueram ſcribere. Ad Petri epiſtolas, quoniã uidebantur obſcuriſſimæ admoui manus, quibus obſermonis ac ſententiarũ congruentiã adieci epiſtolã Iudæ. Nec amplius cogitabã de paraphraſibus. Donec epiſtolam Iacobi flagitarẽt amici, mox etiã Ioannis. Tandẽ extiterũt qui cõtendebant epiſtolã ad Hebræos quũ eſſet una nõ prætermittendã, ut totum opus mihi maneret. Obtẽperatum eſt. Hoc eſſe uerũ indicãt meæ præfationes. Hic caſus inuertit ordinẽ epiſtolarũ. Dicet, quur in poſteriorib⁹ editionibus non reſtituiſti in ordinẽ? Quia non uenit in mentẽ, nec arbitrabar ad rem pertinere. Poteſt lector unamquanq; facere ſibi quotam uelit. Si ſtudio fuiſſet inuertere ordinẽ, inuertiſſem in uerſione noui teſtamẽti. In cultu eccleſiaſtico ſolenni referre poteſt quis ſit ordo, in priuato codice, non magni refert.

O. Hiero/

O. Hieronymus ad Desideriũ testatur epistolam ad Hebræos à plerisq; extra numerum solere poni, id tamen ut dixi studio à me factum non est.

Dicit impiũ & schismaticum quod duas posterio res Ioan. epistolas tribuã Ioanni cuidam presbytero nõ apostolo. Litiget igitur Beda cum sancto Hieronymo, qui hoc asserit non uno in loco, ex autoritate Papiæ. Si Hieronymus hoc nusq; dicit, ego uanus sum, si dicit, aut illum mecũ faciat schismaticũ, aut me cum illo absoluat. Nam has esse Euãgelistæ, nullum apertũ extat ecclesiæ decretũ. Titulus scribarum me nõ multum mouet, quoties graues autores dissentiũt. Si Beda audet affirmare articulũ esse fidei, quicquid usu ecclesiæ receptũ est, obijciã illi multa, q̃ diluere nõ poterit.

P. Arrodit quod scripseram, Iactum am rerũ, probra, carceres, flagra, mortẽ nemo fert æquo animo, nisi fidem inuictã cũ Euãgelica charitate coniunxerit. Hic ut me uanitatis coarguat, obijcit mihi nescio quos maleficos, qui mortẽ alacriter pertulerunt. Si mali erant, non pertulerunt mortem æquo animo, sed simulabãt æquanimitatẽ, maluissent enim occidere quàm occidi. Dic mihi lector, nónne periclitabatur ecclesia, nisi hæc fuissent Lutetiæ prodita?

Q. Quid est rhetoris? Composite disertéq; dicere. Iam Hieronymus fatetur epistolam ad Hebræos esse cæteris eloquentiorẽ. Spiritũ apostolicum tribuo epistolæ,

ſtolæ, ſtilũ nõto à cæteris diuerſum, hoc eſt magis rhe
toricũ, Phraſis diſcernitur, nec tamẽ uituperatur ſed
laudatur, ſententiarum autoritas æquatur cæteris epi
ſtolis. Miratur hæc poſſe ferre Card. Imò demiror aca
demiam tam celebrem ferre tam inſulſum ſcriptorẽ.
Hic exprobrat mihi paupertatem & miſeriam: quaſi
cenſus faciat ad autoritatẽ, & quaſi pietas nõ debeat
niſi à Craßis & Crœſis tractari. Atqui ſciat hoc Be
da, ſi tam auidus fuiſſem habẽdi, quàm ipſe calumni
andi, miſerior fortaſſis eſſem quàm ſum, certe pauper
non eſſem. Quanquam non adeo ſum pauper ut Bedæ
pecunijs egeam, quibus ditior eſt quàm literis. Quod
me miſerum appellat, non mentitur, ſed miſerior eſt
qui miſero inuidet.

S. Quem hic mihi cõmunem uſum narrat? Vbi pro
latum fuerit euidens eccleſiæ decretũ, deficiam ab au
toritate doctorum. Alioqui eccleſia multa diſſimulat,
multa nolens tolerat quæ inuexit uſus.

T. Beda non poteſt pati, quod qui ad baptiſmum ac
cedunt, dicantur fide purificari, uerus hoſtis fidei, cu
ius uult eſſe propugnator. Quoties diſtinguo legem
aduerſus Euangelium, intelligo legis craſſiorem par
tem in ceremonijs ac typis ſitam.

Agitur illic de fide per quam datur ſalus. At mor
tua fides nihilo plus agit quàm homo mortuus. An
fides poßit à deo infundi ſine charitate non diſputo,
certum

certum est, utrãq; alteri indiuiduam esse comitem.

Ibidem legẽ appello crassam illam legis literam et licere sentio, quod corporali pœna nõ punit illa lex.

X. Quærit Beda quur dedicem meas lucubrationes uarijs principibus orbis. Dicam paucis, ut monarchis ac proceribus studia cõmendem, ut illis aliquẽ Euangelicæ mentis gustum instillem. Denicq; nonnunquam ad id flagitor à primipum amicis. Hoc erat meũ consiliũ: Si quid aliud è suo pectore suspicatur Beda, precor illi mentẽ magis Christianã. Atq; hic satis cum autoritate taxat episcoporum ordinem his uerbis. Qui utinã Christi ecclesiæ regimen multi non quæsierint, sed impositum, ut oportet gerant. Periculum erit igitur Pontifici Romano, nisi Bedæ post tam præclarum ac sanctum opus æditum, mittat mitram & pedũ Nisi tales sint episcopi, nunquam consistet ecclesia.

Y. Hic rursus fio Manicheus, epistolæ ad Hebræos caput nonum Paraphrasi explanans, utor his uerbis. Veteris templi religio habebat ritus quosdã statasq; ceremonias, quæ obseruatæ iustitiæ speciem haberent. Habebãt sanctimoniam quandam sed mundanam, nimirum in rebus extrarijs ac uisibilibus sitam, cuiusmodi nõnulla uidentur & apud gentes. Quid his uerbis declaro? Horresco referens, legem ueterum non esse profectam à deo, sed à principe dæmoniorũ. Hæc asseuerat Beda, & adhuc dormiunt episcopi?

Verum

Verum quàm hæc Beda sine mente sine fronte loquatur, paucis aperiam.

Si uera sunt, inquit Beda, quæ scribit Erasmus, nõ mentitus est Manicheus, affirmans principem dæmonum autorẽ fuisse ueteris legis. Atqui si hic mẽtitur Erasmus, multo magis mentitus est Paulus, sed nec Paulus mẽtitus est nec Erasmus, uerũ cum suo Manicheo mentitus est Beda, Paulus enim toto illo sermone demonstrat templũ, ritus, sacrificia, ceremonias q; corporales uetustæ legis euanuisse ad coruscantem Euangelij lucem. Præcesserat autem capite proximo, Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est. His uerbis ne cui Paulus uideretur damnare priscæ legis ritus, sic ordior caput nonum, Dixerit aliquis, an uana fuit igitur ueteris templi religio? Nequaquam. Num hæc sunt uerba Manichei? Mox sequuntur, unde Beda sumpsit ansam calũniandi, Olim quidem & uetus illud templũ, cuius religio successione ueritatis iam euanuit, habebat ritus quosdam statas q; ceremonias, quæ obseruatæ iustitiæ speciẽ haberent. Est in his uerbis quicquam falsi? At hic Beda sycophantices quàm rhetorices peritior de suo addit tantum & solum, ita recitans, iustitiæ speciem solum habebant, & sanctimoniam tantum mundanam. Quod si etiam à me dictũ fuisset, quid habebat piaculi, nunc quod à me scriptum non est, non est opus defendere.

At si

At fortaſis male habet Bedam, quod præter Apoſtoli ſermonẽ addo, cuiuſmodi nonnihil uidetur & apud gentes, loquens de ritibus corporalibus, Id enim mox præcedit, nimirum in rebus extrarijs ac uiſibilibus ſi tam. Nec dixi omnia conuenire gentibus cum Iudæis, ſed nonnihil. Nónne apud gentes erant templa, ſacerdotes, immolatio pecudum, thymiamata, flexio corporum, preces, lotiones, aliaq; innumera? Nunc ita colligit Beda, ſi in ritibus corporalibus fuit aliquid commune gentibus cum Iudæis, ergo quæ faciebant Iudæi non erant à deo præſcripta. Nihilo ſanior eſt hæc ratiocinatio, quàm ſi quis dicat: hypocritæ ieiunant, orant, largiuntur eleemoſynam, quemadmodum pij, ergo quæ pij faciunt nõ ſunt præſcripta à deo, ſi non à deo, à principe dæmoniorum igitur. Offendunt fortaſsis hæc uerba, ſpeciem iuſtitiæ. Volebat igitur me dicere quod in illis fuiſſet uera iuſtitia? & Dauid aliosq; patres non per fidem, ſed per has obſeruationes corporales fuiſſe iuſtificatos? Atqui protinus mihi reclamaſſet Paulus dicens, quæ parabola eſt tẽporis inſtantis, iuxta quam munera & hoſtiæ offerũtur, quæ non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis & in potibus, & in uarijs baptiſmatibus, & iuſtitijs carnis uſq; ad tempus correctionis impoſitis. Ac mox, Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri pecccata.

Hic

Hic nō implorabo episcopos ut Bedā è medio tollant, sed oro deum ut illi donet sanam & Christianam mentem, at Christianissimum Galliarū regem Franāscum, senatum Parisiensem, ordinem Theologorum appello, dispiciant quis sit futurus exitus, si Lutetiæ tales libri impune uendātur, exclusis cæteris. Nihil hic opus erudītorum iudicio. Calumniæ sunt tam euidentes, ut si causa lingua populari esset proditæ, posset ab olitoribus, aurigis, & nautis iudicari.

Z Postremo loco taxat, quod in epistolæ ad Hebræos cap. xi. scripserim: Enoch fidei debet hoc seu gloriæ seu felicitatis, quod sublatus ex hominum contubernio uiuit cum deo. Lutheranum plane est, inquit, quod fidei tribuit soli & gloriam Enoch & felicitatem. Hic primum ab insigni mendacio calumniam auspicatur. Nō enim dixi soli fidei, sed fidei. Et in superioribus ita loquor: Sed fide potissimum placuit. An potißimum Bedæ sonat solum? Hæc declarant Bedam mea nunquam legisse. An quisquis nominat fidem, solam fidem dicit, & Lutheranus est? Toto igitur hoc capite Lutheranus est Paulus, omnes sanctorum uirtutes ac felicitates fidei tribuens, neque quicquam addens. Dixerant Enoch ex hominum consortio sublatum uiuere cum deo: nec explico ubi aut quomodo uiuat, in cœlis sine corpore, an in paradiso cum corpore. Beda non uult asseri quod incertum est, nec ego aßero. Quorsum igitur pertinet

leuitatis ac temeritatis conuicia? An non uiuit cum deo qui pie feliciterq; uiuit, immunis à malis huius uitæ? Paulus dicit conuersationem piorum in cœlis esse. Et paulo ante in paraphrasi dixerã, etiam tum cum deo uixisse Enoch, quũ adhuc inter homines ageret. Quid igitur mirum si nunc dicatur cum deo uiuere? Hæc tam absurda, quæ Beda ceu præclara prodidit orbi, mihi plane suspicionem injiciunt, esse Lutetiæ factos homines, qui miserum gloriæ ieiunio, liuore odioq; furentem, dolo huc propulerũt, ut illum orbi deridendum propinarent. Ego sane si fuissem illi capitalis hostis, non optassem aliam uindictam, quàm ut ipse tali libro se ipsum depingeret. Nunc Bedæ quidem me miseret, sed magis doleo malis & infirmis esse præbitam ansam, ut uel in sua malicia confirmentur, uel ad impiorum partes deficiant, quum uiderint tales esse Theologos, per quos Lutheri dogmata damnata sunt. Solet enim populus ex uno æstimare cæteros, & suspicatur eiusmodi libros cõmuni omnium opera confici. Quare mihi rogandi sunt omnes, ne ex Bedæ uel moribus, uel eruditione cæteros æstiment. Habet is ordo multos Bedæ mulcũ dissimiles. Cogitẽt Bedam esse Bedam, nec hunc tanti faciant, ut ab ecclesiæ pietate resiliant. Inuitus respondi. Qui patienter audit, blasphemus, & Manicheus, aut sibi male cõscius est, aut talis haberi gaudet. Et si mihi fas esset meam famam negligere, infirmorum

morum periculum negligere non debui. Sunt enim multi, quibus si persuasum esset, Erasmum sentire cum Lutheranis, uel ægrius ab illo diuellerentur, uel facilius ad illum deficerent. Doctis qui ista legerent, nihil metuebam. Sed plerique non legunt: tantum audiunt Bedam collegisse ducentos errores magnos, hoc est, titulos uncialibus literis, in Erasmum. Quidam non legũt nisi titulos. Parum eruditis imponitur fumis titulorũ & uerborum. Totum autem calumniandi artificium illi consistit in coniunctione nominum, translatione temporum ac personarum, deprauatione sensus, ac mendacio. Habet aliquot damnata nomina, Arios, Manicheos, Sabellios, Hussos, Vuicleuos, & Lutheros: ac mire putat rem esse persuasam, si copulet Erasmum et Manicheum, aut Sabellium, maxime si funiculus sit triplex, Lutheri, Fabri, & Erasmi, quum frequenter in sententijs nihil conueniat. Magnum tamen fumum habet nominum coniunctio, sed apud stupidos, quibus ille scripsit hunc librum. Cæterum eodem artificio iungere poterat frequenter nomen Pauli, Petri, & Christi, cum nomine Erasmi & Fabri. Deinde quod in paraphrasibus à me dicitur sub persona Euangelistæ aut Apostoli, pro ratione temporum quibus ea tum prodita sunt, torquet ad personam Erasmi, & ad hæc tempora, quibus omnia perstrepunt Lutheri dogmatibus. Itaque crebro uocat hæretica & Lutherana, quæ sunt

Christi aut Pauli. Præterea bene dicta deprauat, decerpens quæ seruire possunt calumniæ, & studio transfiliens ea quæ excludebāt calumniā: deinde detorquens uerba ad sensum aliquem opinioni damnatæ uicinum. Verum hac ratione longe plures errores poterant notari in literis Paulinis. Postremo quanquam in his omnibus non abest mendacium, ueluti sanguis per omne corpus diffusus, tamen aliquoties splendide fortiterq; mentitur me scripsisse, quod nec est in uerbis meis nec in sensu, tam impudenter, ut nulli sit obscurū illum etiam contra suam ipsius conscientiam loqui. Et tamen minitatur, si quis audeat ipsi respondere. Et nouum profert dogma, ualde suspectum esse de hæresi, quicunque quocunque modo male sentit de Theologis. Quod ad posteriorem particulam attinet, profiteor me nunq; habiturum Bedam inter Theologos, nisi scribat aliter: etiam si dubitabam, donec ille prothesauro protulit carbones. Quod ad priorem articulum attinet, mihi plus est authoritatis censendi scripta Bedæ, quàm Bedæ mea. Theologi nomine pares sumus, doctrinam cum illo certe permutare nolim. Præter hoc habeo peculiarem à pontificibus ac Cæsare delegationem, ut obsistam ijs qui repugnant pietati & tranquillitati ecclesiæ. At Beda tot locis uocat hæretica & blasphema, quæ sunt in sacris literis. Deinde me dimicantem aduersus eos quos damnauit ecclesia Romana, talibus

libus libris interpellat, satis indicans quàm faueat ecclesiæ uictoriæ: nisi forte qui Cæsarem aduersus Turcam belligerantem à tergo inuadat, uidebitur fauere rei Christianæ. Ad hæc S. D. N. Clemens vij. *& item Cæsar, uult in pietate constabiliri uacillantes, reuocari aberrãtes, sanari mediocriter affectos, redargui insanabiles. Beda contra pertrahere nititur in castra hostiũ, qui pugnant aduersus illos, & furiosis scriptis hunc tumultum quem principes extinguere conantur, exasperat. Postremo detrahit huiusmodi scriptis autoritatem Theologis, quorum autoritate potissimum oportebat hoc dissidium componi, quorum in his censuris iudicium præuerti maluit quàm sequi: & ea scribit quæ sunt gratissima ijs, qui pessime uolunt Romano pontifici. Quod superest igitur, oremus, ut dominus Iesus sponsam suam restituat pristinæ tranquillitati, & Bedis omnibus impartiat spiritum sobrietatis, ut unanimes idem sentiamus in Euangelio. Sic Beda habiturus est Erasmum amicum, fratrem, & commilitonem in domino.*

FINIS.


IOAN. FROB.

Henning Oppermann
vorm. Rudolf Geering
Buchantiquariat und
Buchhandlung
Basel, Blumenrain 27
Gegründet 1800